



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus VI. Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

Matrimonium absolutus est, & à neutro alligatur hujusmodi obligationi, aut eventui, quem ista respicit, idcirco istud valori Matrimonij nocere non potest, quippe consensus praestitus est independenter ab eo, quod est contrarium substantiae Matrimonij.

146 Quæritur §. quam vim habeant Sponsalia, vel Matrimonium, quæ contrahuntur in diem certum, vel incertum? Resolvendum esse, utrum dies adjectus sit per modum termini à quo, ut Sponsalia, vel Matrimonium quoad suos effectus pro contracto habeatur à tempore existentis diei; an verò tanquam terminus ad quem, ut adveniente die, Sponsalia, vel Matrimonium obligare cessent.

Si primum, dies adjecta, sive certa illa sit, sive incerta, habet vim Conditionis suspensivæ, & facit, ut ante diem signatam obligatio Matrimonialis, vel Sponsalitia non nascatur. Si secundum, habet vim conditionis resolutivæ; cons. sic contracta Sponsalia de futuro valent, non valet sic contra-

ctum Matrimonium, utpote à quo Conditiones resolutivas n. 14. rejecimus.

Ex quo patet invalidè contrahi Matrimonium, si quis dicat, *Contrabo tecum ad certos annos, ut hac, vel illa circumstantia eveniente. vel non eveniente possim iterum discedere, aut alteri nubere*, prout in multis locis faciunt Hæretici, utpote qui cum hac expressa, sibi que prælecta conditione contrahunt, ut una pars discedere, & alteri prohibito queat nubere, si compars adulterium committat, vel ab Hæresi ad Fidem Catholicam se convertat. Reiffenstuel hic n. 48.

Superesset altera Rubricæ pars, scilicet de Conditionibus appositis in alijs Contractibus: sed quia de his sufficienter actum est tum in *Libr. 1. Tit. 31. de Pactis*, tum in *Libr. 3. Tit. 14. de precarijs*, & pluribus alijs consequentibus, idcirco non est necesse hic ea repetere. Solum hic noto, Matrimonium, & Contractus alios hic pares esse: & hinc ut Matrimonio, ita & alijs Contractibus adijci modum, & conditiones posse.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

Præfens Rubrica tria Conjugiorum Impedimenta nobis offert, duo Dirimentia, videlicet Ordinem Sacrum, & Professionem Religiosam, & tertium Impediens,

Votum Castitatis Simplex: quibus ob similitudinem quandam Disparitatem Cultus annectemus.

§. I.

De Ordine Sacro.

S U M M A R I U M.

1. 2. Ordo Sacer dirimit Matrimonium contrahendum.
3. Quod procedit etiam in Clericis Orientalis Ecclesie.
4. In minoribus Ordinibus constitutus Matrimonium validè, & licitè contrahit.
5. Solvuntur Argumenta opposita.
6. Sponsalia ante contracta dirimuntur per Ordinem Sacrum.
7. Non tamen Matrimonium, etiam ratum tantum.
8. Et ita ordinatus absque consensu conjugis efficitur Irregularis.
9. Respondetur ad Rationem dubitandi.
10. Quo Jure Ordo Sacer dirimat Matrimonium contrahendum? Rationes dubitandi.
11. Deciditur dirimere solum Jure Ecclesiastico.
12. 13. 14. Rationes assertionis.
15. Satisfit Argumentis oppositis.
16. An Impedimentum istud inducat Ordo Sacer, susceptus ante usum rationis?
17. Vel ante pubertatem adeptam? Rationes dubitandi.
18. Defenditur Negativa.
19. Diluuntur argumenta opposita.
20. Quid, si quis ad ejus susceptionem inductus est vi absoluta?
21. Vel metu gravi injustè incusso?
22. Fundamenta Sententiæ negantis, eo casu contrahi obligationem continentie.
23. Prefertur Sententiæ affirmans.
24. Rationes istius.
25. Respondetur ad opposita.
26. Quam obligationem contrahat, qui Sacrum Ordinem suscepit invalidè?
27. 28. 29. An saltem ad continentiam teneatur ex Voto Simplici?
30. An conjugatus ad Ordines promoveri possit, invita conjugè?
31. Quid dicendum de Ordinibus minoribus?
32. Casus, quibus promoveri, invita uxore potest.

32. 34. 35. *Quid requiratur, ut conjux innocens Religionem ingredi, vel Ordines suscipere, conjuge adultero invito, possit?*
 36. 37. *Quando conjugi innocenti, altero in Infidelitatem, vel Heresim lapsa, permissum sit Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere?*

Quaritur 1. an Ordo Sacer dirimat Matrimonium contrahendum? Negativam magnis studiis propugnant Hæretici nostri temporis, sumuntque fundamenta ex ipso Jure Canonico. 1. *can. un. caus. 35, q. 1. ubi ad finem ꝑ. illud autem S. Augustinus, Ecclesia, inquit, post Apostolica instituta quedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia Ministrorum. non esset autem consilij, sed præcepti hæc continentia, si Ordo Sacer dirimeret Matrimonium contrahendum. ergo &c.* 2. *can. Diaconi 8. dist. 28. ubi Synodi Ancyranæ PP. Diaconi quicumque, inquit, cum ordinantur si in ipsa Ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse continere, ij, si postea ad nuptias venerint maneat in ministerio, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit.* Neque refert quod Synodus hæc Provincialis duntaxat fuerit; nam postea à Leone IV. ut refertur *can. de libellis 1. dist. 20.* approbata est, ac proinde vim juris communis accepit. 3. *can. quoniam 13. dist. 31. ubi refertur Synodi VI. can. 13. in hunc tenorem: Nos antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentie, & Constitutiones, Sacrorum Virorum Legales nuptias amodo valere volumus; cujus Synodi Canones postea recepit Adrianus Pontifex can. sextam 5. dist. 16. ibi, Sextam Synodum sanctam recipio cum omnibus Canonibus suis.*

2. Sed veritas est Catholica, & indubitata, per ordinem Sacrum dirimi Matrimonium postea contrahendum; id enim pluries definitum est, præcipue *can. Presbyteris 8. dist. 27. can. Presbyterum 16. dist. 28. can. omnium 1. & can. illo 4. dist. 32. can. cum in præterito 3. dist. 24. c. siqui 1. de Cleric. conjug. c. de Diacono 1. & c. ex litterarum 2. h. tit. c. un. ꝑ. presentis de Vot. in 6. & novissimè à Trid. sess. 24. de sacr. Matr. can. 9.* Ratio est, quia horum Ordinum susceptioni annexum est Votum Continentiæ solenne, quod ita obstat Matrimonio contrahendo, ut hoc, si ab aliquo Clerico, qui uno ex his Ordinibus initiatus est, inearur, omnino nullum sit *c. cum olim 6. de Cleric. conjug. c. un. & can. 9. cit.*

3. Proceditque hoc etiam in Clericis Orientalis Ecclesiæ; nam licet isti uxoribus, siquas ante susceptum Sacrum Ordinem habuerunt, uti possint, post susceptum tamen Ordinem Sacrum Matrimonium inire nequeunt: fuitque hoc ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio introductum, ut patet ex

38. 39. *Quæ obligatio incumbat uxori, quæ volente, & consentiente, Maritus ad Sacram Ordinem promotus est?*

40. *An uxores, quorum mariti ipsis consentientibus, Ordine aliquo sacro initiati sunt, his mortuis, cum alio validè contrahere Matrimonium possint?*

41. 42. *Unde oriatur hoc Impedimentum uxorum?*

can. 27. Apostolorum, quem canonem etiam de Orientali Ecclesia intelligendum constat ex can. siquis 7. dist. 32. ubi Synodi VI. Patres, Si quis eorum, inquit, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatus faciat. Estque Matrimonium ejusmodi etiam in Græca Ecclesia non tantum illicitum, sed etiam irritum, ut ex usu, & moribus Ecclesiæ illius probat Azor *p. 1. l. 13. c. 12. q. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 28. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 3. Vivian. in c. ex litterarum cit. fin. Wagnereck ad Rubr. h. tit. not. 2. Pignat. tom. 8. consult. 81. n. 33. Reiffenstuel hic n. 4.* Neque obstant verba *can. fin. dist. 31. ibi, Earum, scilicet Orientalium Ecclesiarum, Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi Matrimonio copulantur, nam ut advertunt DD. cit. verba ista de Matrimonij usu, non de contractu illius intelligi debent.*

Dixi autem, *Per Ordinem Sacrum:* 4. qualis est Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, nam constituti in minoribus Ordinibus Matrimonium validè, & licitè contrahere possunt, cum id *can. siquis cit. ipsis expressè concedatur. Ratio est, quia Ordo ex sui natura non repugnat Matrimonio, sed solum ratione Voti, quod Ecclesia ei annexit, non annexit autem id omnibus, sed majoribus duntaxat Ordinibus *can. nullum 1. dist. 28.* quod adeo verum est, ut Ecclesia etiam non possit ijs, qui hactenus ad Ordines minores provecti sunt, continentiz Legem indicare, ut cum alijs advertit Sanch. *l. 7. de Matr. D. 31. n. 4.* ex ratione, quia absque ea obligatione promoti sunt, & continentia præcipi nequit, sed tantum suaderi *can. integritas 13. caus. 32. q. 1.* Possit tamen Ecclesia constituere, ne in posterum ad primam tonsuram, & Ordines minores promoveantur, nisi qui se voto solenni Castitatis adstrinxerint, sicut præcepit de Ordinibus Sacris; quia tunc non tam Ecclesia, quam ipsi Ordinati fuomet factò Matrimonij ineundi potestate se privarent, eligentes suâ sponte statum, cui id Votum annexum est.*

Ad Argumenta *n. 1.* allata non difficilis est responsio, *Ad 1.* verba illa non sunt Augustini, sed addita sunt à Gratiano, & potest intelligi, Ecclesiam imposuisse Clericis continentiam sub præcepto, quæ antea erat sub consilio, *Ad 2.* Major in *4. dist. 24. q. 2. ad 2. Azor p. 1. l. 13. c. 12. q. 2. & 4. Sanch.*

Sanch. l. 7. cit. D. 28. n. 7. respondent ibi sermonem esse de more Ecclesie Græcæ, & de uxoribus ante Diaconatum ductis, ita, ut verba, si cum ordinantur, dixerint se velle uxores habere, nil aliud significant, quam si retinere uxores antea ductas velint, & verba, si postea ad nuptias venerint, pariant hunc sensum, si nuptijs antea contractis uti voluerint. Vel si contendas, ibidem agi de contractu nuptiarum post susceptum Diaconatus Ordinem, dici cum Archidiacono, Turrecremata, Azor, Sanchez cit. poterit, ibi nuptias ita contractas non approbari, sed tantum decerni, quod ejusmodi Diaconus, si facti poenitens, ab uxore defacto ducta se separaverit, cum licentia Episcopi ministrare in Ordine suscepto possit. Ad 3. Canon ille ex illis est, quos Trullanos appellant, quod apud Trullum Palatium Regium editi sint à quibusdam Episcopis, Synodo VI. jam dissoluta: quos nunquam approbavit Ecclesia, sed aperte improbavit Sergius illius temporis Pontifex. Verba illa relata can. sextam cit. non sunt Adriani Pontificis, sed illa Pontifex refert ex Epistola à Tharasio Patriarcha ad se missa, ut notatur §. sextam post can. cit.

6. Quæritur 2. An Ordo Sacer dirimat Sponsalia, vel Matrimonium ante susceptionem illius contractum? Certum est 1. susceptione Ordinis Sacri dirimi, & solvi Sponsalia ante contracta; quia isto initiatum ob Votum Castitatis solenne ipsi annexum, ut hæctenus dictum est, inhabilis redditur ad Matrimonium valide ineundum: proinde Sponsalia de futuro non amplius possunt obligare. Certum est 2. per susceptionem Ordinis sacri non dirimi Matrimonium consummatum; quia per humanam auctoritatem nullo modo dissolvi potest.

De Matrimonio rato tantum, & non consummato magna erat apud DD. Veteres controversia; nam vim illud dissolvendi videtur ei adstruere paritas cum Professione Religiosa, quæ constat Matrimonium ratum dissolvi posse, ut infra n. dicetur.

7. Sed respondendum est negativè. Responsio est indubitata post Consil. Extrav. un. Joann. XXII. de Vot. ubi idem Pontifex concertationi antiquæ finem imposuit, statuit, per susceptionem Ordinis Sacri dirimi quidem Matrimonium contrahendum, non tamen contractum, etsi nondum sit consummatum: & addit rationem; quia nec Jure Divino, neque Sanctionibus Ecclesiasticis vis ista SS. Ordinibus reperitur concessa.

Proceditque hoc non tantum in Ecclesia Græca, sed etiam in Latina; quia istarum Clerici in hoc solum differunt, quod Græcis licuerit, & etiamnum liceat post Matrimonium initum suscipere SS. Ordines, & uti Matrimonio antè contracto: quod utrumque Latinis est interdictum c. cum olim 6. R. P. Schmalzgrueber L. II.

de Cleric. conjug. propter Votum solenne perpetuæ Castitatis, ex dispositione Ecclesie annexum SS. Ordinibus, in quod eo ipso, quod quis eosdem spontè suscipiat, consentire censetur c. un. de Vot. in 6.

Imò, qui post contractum Matrimonium etiam ratum absque consensu conjugis ordinatur, Irregularis efficitur, talisque manet, etiam soluto Matrimonio. Extrav. un. cit. ubi excipitur, nisi talis Religionem aliquam approbatam ingressus fuerit, & Professionem tacitam, vel expressam ibidem fecerit; hoc enim casu in Consil. cit. Pontifex Episcopo Dioecesano facultatem concedit, ut cum eo dispensare ad ministerium Altaris, & alias Ordinis functiones possit, si dispensando aliud impedimentum nullum obstat. Addit Pontifex, sic ordinatum, si Matrimonium consummatum non fuerit per Dioecesanum instanter monendum, & inducendum ad ingressum Religionis; si verò istud forsitan renuerit adimplere, ipsum, si Sponsa ejus institerit, per Censuram Ecclesiasticam compellendum, ut Matrimonium contractum consummet.

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; nam Professioni Religiosæ vis dissolvendi Matrimonium ratum à Jure concessa est, quod illa sit mors quædam Spiritualis, quæ Religiosus moritur sæculo, & vivit DEO: qualis mors non est susceptio Sacri Ordinis, nec etiam totalis sui traditio. Host. in Summ. tit. de convers. conjugat. §. utrum. Vivian. in Extrav. cit. §. 2. Anglic. §. 2. n. 3. Pirhing n. 7. Wiestner n. 3. & alij passim.

Quæritur 3. Ex quo Jure vis dirimendi conjugij, quam Ordo Sacer libere susceptus habet, originem ducat? Major in 4. dist. 24. q. 2. Barbof. ad rubr. ff. solut. Matr. p. 2. n. 98. & alij apud Sanchez l. 7. de Matr. D. 28. n. 9. vim istam, & obligationem ad continentiam refundunt in Jus Divinum. Et videtur istud probare 1. observantia perpetua Calibatus à tempore Apostolorum in Divinorum Ministris, præsertim Sacerdotibus, in Ecclesia custodita, quæ non obscurum præbet indicium, eam præceptam à DEO esse, & promulgatam à S. Paulo, dum 2. Timoth. 2. v. 4. Ecclesie Ministros universim monens, Nemo, inquit, militans DEO implicat se negotijs secularibus. 2. Continentia est res consilij, & non præcepti 1. Corinth. 7. v. 25. imò tanquam Virtus difficillima Lege Ecclesiastica non potest præcipi arg. can. erit autem 2. dist. 4. igitur si præcepta est Clericis, qui in Sacris constituti sunt, præcepta est Lege quadam altiore, quàm sit Ecclesie. 3. Continentiam in Ministris Ecclesie videtur exigere Status, & functionum, quas habent, Sanctitas. Igitur obligatio ad illam vel ex præcepto Divino tum dato, cum Christus Ordines Sacros instituit, vel etiam ex ipso-

rum Ordinum naturâ, adeoque præcepto naturali originem trahit. 4. Professio Religiosa Jure naturali, saltem Divino dirimit Matrimonium, Atqui Professio Religiosa, & Ordo Sacer æquiparantur, cum etiam iste habeat sibi annexum Votum continentia solenne, propter quod Professio Matrimonium dirimit, ergo &c.

11 Sed his non obstantibus, verius omnino est, quod vis dirimendi Matrimonij Ordinis Sacro solum competat ex Jure positivo Ecclesiæ. Ita S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Scot. in 4. dist. 37. q. un. §. dico igitur. S. Bonav. art. 1. q. 2. in Corp. Host. inc. rursus 6. b. tit. n. 1. Abb. ibid. n. 7. Tabien. V. dispensatio q. 7. n. 8. ad 1. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 3. n. 2. Bellarm. l. 1. de Clericis c. 18. Henriq. l. 11. c. 5. n. 9. Petr. de Ledesm. de Matr. a. 53. art. 3. dub. 1. concl. 1. Lud. Lop. p. 2. Instruct. de Matr. c. 48. ad 1. Sanch. l. 7. de Matr. D. 28. n. 11. Gutier. de Matr. c. 94. n. 10. Valq. tom. 3. in 3. p. D. 249. c. 2. Conink D. 20. de Sac. Ord. n. 114. Pont. l. 7. c. 27. n. 5. Barbol. de Offic. Episc. alleg. 15. n. 3. Pal. tr. 28. D. 4. p. 6. n. 5. Bolco. de Imped. Matr. sect. 4. concl. 3. Vallens. hic n. 3. Zœl. n. 13. Honor. n. 4. Pirhing n. 6. Schambog. n. 7. König n. 2. §. 10. Wiestner n. 18. Reifentuel n. 15. Magnif. P. Schmier p. 1. de person. Eccl. c. 2. n. 35. & p. 3. de Matr. c. 5. n. 22. & assentiuntur hodie plerique TT. & Canonistæ.

12 Ratio est, quia si Jure alio, quam Ecclesiastico Ordo Sacer vim conjugij dirimendi haberet, haberet illam vel ex Jure naturali, vel ex Jure Divino. Non primum; quia licet per Sacram Ordinationem deputetur homo, & obligetur ad Ministerium, & Cultum Divinum, atque ad hanc obligationem ritè, & sanctè implendam omnimoda puritas, & perfecta continentia multum conferat, ipsum tamen Matrimonium, & honestus illius usus Sacro Ordini ex natura sua non repugnat; aliàs initiatis hoc Ordine in Ecclesia Orientali concedi non potuisset. Non secundum; quia in SS. Litteris non extat ulla prohibitio, quæ Sacris Ordinibus initiatos à conjugijs omnino removeat: neque dici potest, quod Lex hæc Divina habeatur ex traditione; licet enim ex traditione in Latina Ecclesia habeatur Calibatus, & in utraque Ecclesia tam Latina, quam Græca impedimentum, quo Sacris initiati prohibentur inire conjugia, ista tamen non Divina, sed Ecclesiastica solum traditio est, nec ultra Legis Ecclesiasticæ vim aliquid majus habet.

13 Conf. 1. Si Ordo Sacer vim dirimendi conjugij haberet ex alio Jure, quam Ecclesiastico, Pontifex ad contrahendum conjugium cum Clericis initiatis tali Ordine dispensare non posset. Dispensavit autem pluries, videlicet cum Ramiro Rege Arragonum, prius Religioso, & Episcopo Cale-

stinus III. apud Palud. in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. cum Nicolao Justiniano Sacerdote Monacho in Monasterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti ad instantiam Vitalis Venetorum Ducis Alexander III. apud Barth. à S. Fausto in Thef. Relig. l. 3. q. 36. n. 6. fin. cum Cæsare Borgia Cardinale Diacono Alexander VI. apud Cened. ad Decret. collect. 124. n. 5. cum fratre Cardinalis Joyose Galli Sacerdote Professo; & Provinciali Ordinis PP. Capucinatorum Gregorius XIII. apud cit. Barth. à S. Fausto, cum Francisco Leopoldo Guilielmo Comite Slabata, Canonico Ecclesiæ Passaviensis Subdiacono ad intercessionem Augustissimi Leopoldi I. 14. Jan. 1690. Alexander VIII. apud König hic n. 10 cum Rainaldo hodierno Duce Mutinensi antea Diacono Cardinale Innocentius XII. & ante paucos annos cum Francisco Maria, fratre Cosmi III. hodierni Magni Ducis Heururæ, itidem Cardinale Diacono Sanctissimus Dominus noster Clemens XI. Et hujusmodi Dispensationes quidem super impedimento Ordinis Presbyteratus, & Diaconatus conceduntur solum ex causa publica, super impedimento tamen subdiaconatus probabilius dispensari potest etiam ex causa privata; cum enim Ordo iste olim sacer non fuerit, neque habuerit annexum Votum continentia, in eo dispensando Pontifices merito sunt prioriores. Spada conf. 169. n. 3. §. 4. libr. 1. de Rubris respons. 16. König n. 10. cit.

Conf. 2. Tridentinum sess. 24. can. 9. 14 vim dirimendi Matrimonij, quam habet Sacer Ordo, refundit in præceptum Ecclesiasticum can. ut lex 40. caus. 27. q. 1. & in Votum solenne Castitatis, Sacri Ordinis susceptioni annexum, Atqui Votum solenne ex natura sua non habet vim dirimendi Matrimonium; quia hac sola spectata, non habet majorem vim, quam Votum simplex, quod Matrimonium non dirimit, exceptis votis simplicibus Societatis JESU, de quibus infra n. 61.

Neque plus probant Argumenta pro parte adversa allata. Ad 1. Si Sacer Ordo Jure Divino induceret inhabilitatem ad Matrimonium contrahendum, & contracto utendum, observantia ista esset, & fuisset semper universalis, & indispensabilis: universalis autem non fuit; quia Græci Clerici, etiam in Majoribus constituti, uti possunt Matrimonio antè contracto: sed nec indispensabilis, cum, ut n. 13. ostensum est, Papa sæpius dispensarit cum Clericis, etiam in Majoribus constitutis, ad contrahendum Matrimonium, ergo &c. Ad 2. Ecclesia obligationem Continentia nemini imponit absolute, sed tantum sub conditione, si quis velit assumere sacrum Ordinem. Potest autem quis apponere conditionem beneficio, quod alicui confert, ergo etiam Ecclesia collationi Ordinis, quæ verè est benefi-

nefficiam. Ex quo sequitur, quod ad continentiam non obliget, nisi volentes, cum neminem cogat ad suscipiendum Ordinem Sacrum. Ad 3. Jam dictum est n. 12. quod decens quidem sit admodum, ut Clerici in Sacris constituti castè vivant; per hoc tamen non probatur, quod nuptiæ ipsi præcepto vel Divino, vel naturali prohibitz sint; multa enim decent, quorum tamen contraria non sunt prohibita. Ad 4. Nec Professio Religiosa, ut infra n. 47. & seqq. probabitur, Matrimonium aut contrahendum, aut contrahendum Jure naturali, aut Divino dirimit: deinde esto, quod illud Jure aliquo altiore, quam merè humano dirimat, ex hoc tamen inferri non potest, quod illo Jure Matrimonium etiam Sacer Ordo dirimat. Disparitas est, quia Professio Religiosa est perfecta, & totalis traditio hominis ipsi DEO, ita ut etiam velle, & nolle proprium non amplius habeat. Talis autem, & tam perfecta traditio non est susceptio Sacri Ordinis. Equiparantur ergo Professio, & Ordo Sacer in hoc, quod uterque dirimat Matrimonium contrahendum, si tamen Professio Religiosa illud dirimit Jure Divino, aut naturali, non æquiparantur in origine istius potestatis, quæ Matrimonium contrahendum dirimunt.

Quæritur 4. An Impedimentum istud inducat Ordo Sacer ante usum rationis, vel in impubertate susceptus? Satis conveniunt DD. quod Ordo Sacer, ante usum rationis susceptus, Impedimentum hoc non inducat, nisi sic ordinatus, quando usum rationis adeptus est, Ordinationem suam expressè, vel tacitè actum aliquem, suscepto Sacro Ordini proprium, liberè exercendo, ratificarit. Ita Host. in c. un. de Cleric. per salt. promot. n. 2. Joan. Andr. ibid. n. 5. Abb. n. 3. Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 3. Henric. l. 10. de Sac. Ord. c. 14. n. 3. & l. 12. de Matr. c. 5. n. 9. in Comment. lit. Q. Azor. p. 1. l. 1. c. 24. q. 9. Sanch. l. 7. de Matr. D. 30. n. 3. Gutier. de Matr. c. 94. n. 18. Conink D. 20. de Sac. Ord. n. 134. § 137. Pont. l. 7. c. 29. n. 15. Fagn. in c. un. cit. n. 27. & seqq. Zoesl. hic n. 14. Pirhing n. 2. König n. 4. Wiestner n. 9. Reiffenstuel n. 5. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 5. n. 4. contra Paludanum, Gabrielem, D. Antoninum, & alios apud Sanch. l. cit. n. 1. Ratio est, quia non apparet, unde in initio ab eo conjugij nullitas, & ad Continentiam obligatio oriatur: non enim oritur ex natura ipsius Ordinis sacri, ut patet ex dictis à n. 11. Neque etiam ex Voto; quia hoc voluntarium, & liberum consensum exigit, cujus tamen infans non est capax: nec denique ex Lege Ecclesiastica; quia non constat, quod aliqua Lex ab Ecclesia lata sit, quæ talis ad continentiam, & abstinendum à Matrimonio obligetur: imò non est credibile, quod unquam Lex talis lata sit.

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Major controversia est de Ordine Sa-
cro, suscepto ab impubere. Joan. Andr. in
c. un. cit. n. 5. Abb. ibid. n. 3. Gaëta in can.
ad limina 30. q. 1. §. 3. n. 55. Sanch. D. 30.
cit. n. 8. Pont. l. 7. c. 29. n. 15. Barbof. de
Offic. Episc. alleg. 15. n. 4. Zoesl. hic n. 14.
Pirhing n. 2. Schambog. n. 3. & non pauci
alij negant sic ordinatum obligari ad Votum
continentiæ servandum, vel abstinendum à
nuptijs. Rationem 1. Sumunt à paritate
cum Professione Religiosa; nam hæc an-
tiquo quidem Jure ante 14. novo verò
Tridentini ante 16. ætatis annum expletum
irrita est, prout dictum est Lib. 3. tit. 31.
de Regular. n. 163. § 171. ergo & Votum
tacitum, resultans ex susceptione Ordinis
Sacri, irritum erit. 2. Si esset aliqua ratio,
ob quam dici deberet etiam impuberem
ordinatum adstringi Voto Continentiæ, es-
set paritas cum Votis alijs, quæ validè edun-
tur etiam ab impuberibus. Atqui nulla est
paritas; nam Vota impuberum, etiam Cas-
tutatis perpetuæ, facillimè dissolvi, & irri-
tari à Parentibus, vel Tutoribus eorum pos-
sunt, etiam sine causa; Votum autem so-
lenne, inclusum in susceptione Ordinis Sa-
cri, relaxatur à Pontifice difficillimè, &
non nisi ob causam valde gravem, & publi-
cam, ergo &c. 3. Non est credibile, quod
Ecclesia puerum impuberem ordinatum obli-
gare voluerit Voto tanti momenti, cum
eos ad Ordines Sacros admitti, ac proinde
Votum solenne continentiæ ab ipsis edi-
tuerit can. pueri 121. pr. caus. 1. q. 1.

Sed adhuc dicendum, impuberes per
susceptionem Ordinis Sacri contrahere Im-
pedimentum dirimens, quo arceantur à
contrahendo Matrimonio, & obligentur ad
servandam continentiam. Ita Gloss. in can.
pueri cit. V. ad Sacros, & in c. un. V. discre-
tionis de Cleric. per salt. promot. Ant. de Bu-
trio ibid. n. 4. Alex. Carrer. l. 3. de Sponsal. c.
3. Sot. l. 7. de Just. q. 2. art. 5. ad ult. Suar.
tom. 3. de Relig. l. 9. c. 17. dub. 3. n. 22. Co-
nink D. 20. de Sac. Ord. dub. 14. n. 136. Pal-
tr. 27. D. un. p. 17. n. 10. Wiestner hic n. 11.
Reiffenstuel ibid. n. 7. Ratio est, quia si
Impuberes non obligarentur Voto annexo
Sacris Ordinibus, id fieret vel Jure naturali,
vel positivo Ecclesiæ: non Jure naturali;
quia hoc ipso, quod sint capaces doli, & in-
telligent, quem statum suscipiant, Jure na-
turali præcisè spectato, possunt obligationem
istam suscipere, & ad statum Clericalem ser-
vandam se obligare: non etiam Jure positivo;
quia nusquam irritatur aut susceptio Ordinis
Sacri, aut Continentiæ Votum huic anne-
xum, etiam in impuberibus.

Argumenta Adversariorum non evin-
cunt intentum. Ad 1. Argumentum à
pari, aut simili in dispositionibus particu-
laribus Juris positivi non magnam vim habet;
non enim sequitur, ubi par, vel etiam ma-
jor est ratio, ibi idem quoque esse consti-
tutum.

Ee 2

tutum à Jure; aliàs sicut pridie Nativitatis S. Joannis Baptistæ celebramus jejunium, ita etiam celebrandum esset pridie Nativitatis B. V. cum hæc longè sit sanctior, & venerabilior Joanne Baptistâ: item sequeretur, quòd sicut Professio Religiosa irrita est ante 16. ætatis annum completum edita, ita & irritum sit Votum Continentiæ annexum Ordini Sacro, si hunc quis susceperit ante eam ætatem completam: conf. qui post pubertatem anno ætatis 15. ordinatus fuit, nubere adhuc posset. Accedit, quia Leges plerumque spectant, quod frequenter, non quod rarissimè accidit *l. nam ad ea 5. ff. de LL.* atqui frequentissimè solebat emitti Professio Religiosa ætate nondum matura; vix unquam autem solebat illa ætate suscipi Ordo Sacer. Igitur conveniens erat annullari Professionem ea ætate editam, licèt non fuerit annullatum Votum Continentiæ, susceptioni Sacri Ordinis annexum, in impuberibus. Denique Professi obligatio est multò gravior, & status illius multò difficilior, quàm sit obligatio constituti in SS. Ordinibus. Igitur ratio, quæ petebat annullari Professionem, nondum matura ætate editam, non probat, quòd etiam annullari debuerit Votum annexum Sacro Ordini. *Ad 2.* Cum adedò facilis fuerit Sedes Apostolica in alijs Votis impuberum, & parentibus illorum, ac Tutoribus dederit potestatem illa irritandi, haud dubiè etiam difficilis non foret ad relaxandum Votum Continentiæ solenne impuberi ordinato. Certè ne ejusmodi obligationem subirent impuberes, sufficienter cautum est ab Ecclesia per hoc, quòd prohibuerit eos ordinari. *Ad 3.* Aliud est prohibere aliquid, ne fiat, & aliud annullare, quòd factum est: constat quidem, quòd Ecclesia prohibuerit, ne ordinarentur impuberes; non autem constat, quòd annullaverit Votum Continentiæ implicitum, & annexum SS. Ordinibus: unde quamdiu Lex Canonica illud annullans non ostenditur, tandiu standum est Jure communi, & dicendum etiam impuberes eo Voto adstringi.

²⁰ *Quæritur 5.* An Voto continentiae adstringatur, & conf. Matrimonij contrahendi incapax fiat, qui ad SS. Ordinum susceptionem inductus est vi? Constat inter omnes, eum, qui ad illorum susceptionem inductus est vi præcisa, & absoluta, non prohiberi contrahere Matrimonium. *Gutier. de Matr. c. 94. n. 14. Sanch. l. 7. de Matr. D. 29. n. 1. Conink D. 20. de Sac. Ord. n. 143. König hic n. 6. Reiffenstuel ibid. n. 8.* Ratio est, quia cum hoc casu desideretur consensus suscipientis, talis Ordinatio invalida est, nec Characterem imprimi *c. majores 3. de Baptism.* Votum autem Continentiæ annexum est Ordinationi validæ, ut *arg. Reg. accessorium 42. in 6.* docet *Gloss. in c. un. V. approbatis, de Cleric. per salt. promot. Archi-*

diac. ibid. n. 3. Gutier. c. 94. cit. n. 13. Palao tr. 27. D. un. p. 17. n. 7. Wiestner hic n. 13. & communiter Interp. ac DD.

Dubium solum est de eo, qui ad Sacram Ordinationem inductus est vi solum conditionata, sive metu gravi injustè incusso? Eum validè contrahere Matrimonium adhuc posse, tradit *Gloss. in c. majores cit. S. fin. V. conditionaliter. Host. ibid. V. eod. n. 38. Calderin. b. tit. conf. un. fin. Rosell. V. Ordo 3. n. 6. Azor p. 1. l. 13. c. 14. q. 8. Henric. l. 10. de Sac. Ord. c. 14. n. 3. Sanch. l. 7. D. 29. n. 5. Conink D. 20. n. 144. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 15. n. 5. Illung tr. 6. D. 9. n. 101. Zæf. hic n. 14. Pirhing n. 2. Schambog. n. 3. König n. 6. Reiffenstuel n. 9. Magnif. P. Schmier p. 3. de Sponsal. c. 5. n. 10.*

Fundantur 1. Quia Ordo Sacer ad Continentiam non obligat ex natura rei, sed solum ratione Voti, ex constitutione Ecclesiæ susceptioni ejusdem annexi. Atqui Votum sive expressum, sive tacitum, quale inest Ordini Sacro, est irritum, si ob metum, qui in virum constantem cadat, emissum fuerit *c. perlatum 1. & c. cum dilectus 6. de his, que vi, metusve causâ Sc.* *2.* Professio Religiosa, gravi metu injustè incusso extorta, est irrita *cc. cit. c. cum locum 14. c. veniens 15. Sc. de Sponsal.* ergo etiam Votum Continentiæ, annexum Ordini Sacro, quippe quod non minùs solenne est, quàm quod emittitur in Professione Religiosa. *3.* Ecclesia annullavit actus, metu gravi injustè incusso extortos, eos ferè, qui si aliquando validè facti sunt, vel omnino rescindi non possunt, ut est Matrimonium, vel difficulter, ut Professio Religiosa? atqui tale est Votum Continentiæ, annexum Ordini Sacro; nam nec ipsum, si validum sit, per Ordinarij Judicis sententiam facile rescindi potest. *4.* Continentiam non debetur, nisi voluntariè assumpta *can. ante triennium 1. dist. 31. & can. præsens 4. caus. 20. q. 3.* cum non sit præcepti, sed Voti tantum, juxta illud Apostoli: *De Virginitate præceptum Domini non habeo, consilium autem do 1. Corinth. 7. v. 25.* *5.* Qui post Matrimonium metu viri constantis recipit Ordinem Sacrum, non tenetur continere, sed uti liberè Matrimonio potest, etiam petendo debitum, quamvis uxor continere se vellet, ut omnes DD. fatentur teste Sanchez *l. cit. n. 2.* ergo nec compellendus est ad continentiam servandam non conjugatus, si ex simili metu suscepit Ordinem Sacrum.

Hæc Sententia admodum probabilis est, & in praxi tuta; præplacet tamen Sententia, quæ docet, sic ordinatum, si Continentiæ Votum, & obligationem intentione sua non exclusit, ad Matrimonium validè ineundum inhabilem esse, seclusa dispensatione, quam tamen, si Sacri Ordinis actum

non sponte exercuit, facile obtinebit. Ita Goffred. in *Summ. tit. de etat. & qual. ord. n. 11.* Host. *Summ. eod. tit. n. 5. §. sed nunquid.* Joan. Andr. in *c. Majores cit. fin. Abb. ibid. v. ult. n. 7.* Zabarell. in *Clem. fin. de etat. & qual. in fin. Sylv. V. Ordo 4. q. 1. dicit. 2.* Tabien. *V. eod. 2. fin. Armill. n. 14.* Gaëta in *can. ad limina 30. q. 1. §. 8. n. 96.* D. Antonin. *3. p. tit. 14. c. 16. fin. Paludan. in 4. dist. 38. q. 3. art. 4. concl. 6. n. 28.* Sot. *1. 7. de Just. q. 2. art. 5. Gutier. c. 94. de Matr. n. 16.* Valq. *3. p. D. 236. c. 3. Pont. l. 7. c. 29. n. 4.* Dian. *tom. 2. tr. 4. resol. 193.* Pal. *tr. 27. D. un. p. 17. n. 3.* Wiestner *hic n. 15.*

34 Colligitur ex Concil. Tolet. VIII. à quo sic ordinati accentur à conjugijs, nisi relaxationem Voti, Sacris Ordinibus annexi, impetrent. Ratio est, quia Jure naturali Vota etiam non spontanea, sed coacta, modò libera adhuc, & voluntaria sint, valida sunt; positivo autem Jure solum irritantur, quæ constituunt Statum Religiosum *c. perlatum cit.* Conf. Nam omnium ferè, etiam Adversariorum, judicio valida est Ordinatio, etiam metu gravi injustè incusso extorta, cæque animæ Ordinati indebilis character imprimitur. Igitur subsistet etiam Votum, & obligatio ad Continentiam, Ordini Sacro annexa, & accessoria *arg. c. transulato 3. de Confit. & Reg. accessorium 42. in 6.* Si autem Jure subsistit Votum illud, cum solenne sit, Matrimonij contrahendi incapax Ordinatum reddet, ergo &c.

35 Contrarium non evincunt Argumenta *n. 22.* allata. Ad 1. Negatur, quòd metus etiam injustè incussus irritum reddat ulum Votum, præter illa, quæ Statum Religiosum constituunt: de quo vide *Libr. 1. Tit. 40. n. 21.* & patet ex *c. cit.* nam textus illorum tantum loquuntur de Professione Religiosa. Ad 2. A Professione Religiosa non bene ducitur Argumentum ad Ordinationem Sacram, ut patet ex *Extrav. un. Joan. XXII. de Vot. & liquet etiam ex eo, quòd Professio Religiosa perpetua sit abdicatio rerum omnium, & ipsius etiam Voluntatis propriæ, ac proinde statum multo difficiliorem constituat, quàm Ordinatio Sacra: ex quo sequitur, quòd ad valorem Professionis merito à Jure major requiratur libertas, & voluntarietas, quàm in susceptione Ordinis Sacri. Ad 3. Imprimis dispensatio in Voto, annexo SS. Ordinibus, ut existimat Palao *l. cit.* probata coactione, haud gravatè concederetur. Deinde esto, difficultas sit impetrandi eam dispensationem, Argumentum Adversariorum, & difficultas hæc solum probat, quòd etiam ipsum irritari ob metum poterit, non tamen probat, quòd actu sit irritatum, cum ex actibus, hominem constituentibus in certo statu, nullus reperitur irritatus ob metum, nisi Matrimonium, & Professio Religiosa. Ad 4. Ad Votum continentia, secluso speciali Jure irri-*

tante, plus non requiritur ex parte voventis quàm libertas, & voluntarietas; istam autem etiam metus gravis non tollit, cum voluntas coacta revera adhuc voluntas sit. Ad 5. Disparitas est, quia conjugatus, ad Ordinem Sacrum suscipiendum coactus, censetur Votum Continentia excludere; non ita excludere velle præsumitur is, qui cum conjugatus non esset, ad talem Ordinem suscipiendum metu gravi compulsus est.

Quæritur 6. Quam obligationem contrahat is, qui Ordinem Sacrum suscepit voluntariè quidem, & liberè, sed invalidè ob defectum alium substantialem, v. g. materia, aut formæ? Certum est, non contrahere obligationem Voti solennis, quo irritatur Matrimonium postea contrahendum; quia obligatio continentia adhæret Ordini Sacro. Igitur hoc non subsistente, etiam subsistere nequit obligatio continentia, cum juxta *Reg. nihil. 129. ff.* non subsistente principali, subsistere etiam ea nequeant, quæ ejus nomine in consequentiam veniunt.

Dubium est, an non saltem ex Voto 27. to simplici ad continentiam teneatur, qui existimans se validè ordinatum, à parte rei invalidè ordinatus est? Videtur tenenda affirmativa; quia invalidè professus Religionem tenetur ad castitatem ex Voto simplici *arg. c. quidam 3. & c. placet 12. de convers. conjugat.* ubi maritus, invita uxore Religionem professus, & postmodum ei restitutus, illà mortuâ, obligatur ad continentiam, licèt non ad ingressum Religionis. Ergo etiam invalidè ordinatus tenebitur ad continentiam ex Voto saltem simplici.

Sed probabilis ne quidem Voto simplici continentia obligatur. Ita Conink *D. 28. de Sacr. Ord. n. 133.* Zes. *tit. de Cleric. Conjug. n. 12.* Englibid. *n. 13. §. econtra.* König *hic n. 7.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Matr. c. 5. n. 10.* Ratio est, quia Votum hoc non emittit principaliter, tanquam essenziale Ordini suscepto, sed tantum in consequentiam propter Ecclesie Constitutionem. Igitur Ordine, tanquam principali, non subsistente, nec etiam Votum hoc potest subsistere juxta *Regul. nihil cit.*

Unde ad Rationem dubitandi disparitas est; nam Votum Castitatis annexum Religioni non est accessoriè tantum, & in consequentiam, sicut Ordini Sacro, sed essentialiter, & propterea Professionem emittens non tantum ad Religionem, sed etiam ad Castitatem principaliter se obligat: Sicque mirum non est, quòd illa cessante, remaneat obligatio continentia ex Voto simplici; quia eo casu procedit Regula: *Si actus non valet, ut ago, valeat eo modo, quo potest.*

Quæritur 7. An conjugatus ad Ordines 30. promoveri possit? Certum est 1. posse eum ad Ordines promoveri, volente, & consentiente uxore, prout constat ex *c. conjugatus 5. & c. seq. de convers. conjugat.*

Et ratio est, quia Juri sibi principaliter quaesito quilibet potest cedere. *Certum est 2.* Si maritus, invita uxore, Ordinem quemcunque accipiat, Ordinationem esse validam, cum nullum Jus existat, quod ejusmodi Ordinum collationem irritet. Ex quo sequitur, sic ordinatum ligari Voto solenni Castitatis, cujus is effectus in illo est, ut revocari quidem ab uxore possit, & revocatus petenti debitum teneatur reddere, non tamen possit petere, vel uxore mortua cum alia contrahere Matrimonium. *Zoëf. tit. de convers. conjugat. n. 24. Pirhing ibid. n. 61.* *Certum est 3.* Susceptionem Ordinis Sacri, ita invita uxore factam, regulariter esse illicitam, etsi Matrimonium ratum solummodo, non verò etiam consummatum sit; ita enim expressè *Extrav. un. Joann. XXII. de voto*, ubi sic ordinato prohibetur ministratio in Ordine suscepto, & ascensus ad altiore, nisi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam expressè, vel tacitè profiteatur. *Ratio est*, quia ex tali mutatione Status grave præjudicium uxori infert.

Dubium est, an maritus invita uxore ³¹promoveri possit ad primam Tonfuram, vel minores Ordines? *Affirmant* nonnulli, eos Ordines licitè recipi à conjugato, etiam uxore invita, posse; quia his Ordinibus non est annexum Votum continentie, *Sed melius negant* Brunell. *de Sponsal. concl. 30. n. 16.* Ant. Cuchus *l. 4. Inst. major. tit. 12. n. 197.* Azorp. *l. 1. c. 13. q. 7.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 38. n. 6.* Barbof. *in Extrav. cit. n. 5.* Pirh. *hic n. 9.* *Ratio est*, quia quamvis *Extrav. cit.* solum loquatur de Ordinibus Sacris, tamen regulariter prohibetur conjugatus promoveri etiam ad minores Ordines *c. fin. de tempor. Ordin. in 6.* Neque obstat, quòd his Ordinibus non sit annexum Votum Continentie, & ideo ex hac parte eos non repugnet recipere post conjugium; quia repugnat eos recipere propter specialem Juris prohibitionem, factam *in c. fin. cit.* ex quo sequitur, quòd in hoc casu non sit locus Argumento à sensu contrario; quia huic locus non est, quando inde resultat correctio alterius cujusdam Juris.

Dixi autem, nisi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam profiteatur; nam hoc si faciat, & Matrimonium consummatum non sit, Episcopus Dioecesanus cum ipso potest dispensare, ut in jam suscepto Ordine ministrare, & ad altiores ascendere, atque ad Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveri possit, prout ex *Extrav. un. cit.* dictum est *n. 8.* nisi aliud Impedimentum obsistat, nempe Irregularitas, vel delictum. *Pirhing. hic n. 10.*

Addidi, Regulariter susceptionem Ordinis, factam invita conjuge, esse illicitam; nam duo casus excipiendi sunt: unus est,

quando uxor commisit adulterium; alter, quando lapsus in Hæresin, vel Apostasiam est, & in hoc suo errore post monitionem unam vel alteram perseverat; nam his casibus conjux innocens, altero invito, ingredi etiam Religionem, & profiteri in ea potest prout dixi *Lib. 3. Tit. 32. n. 20.*

Quæritur 8. Quid requiratur, ut conjux innocens Religionem ingredi, vel Ordines suscipere, conjuge adultero invito, possit? *R.* Requiritur, saltem in foro externo, ut sententia divortij præcesserit, vel saltem adulterium ita publicum, ac notorium sit, ut conjux innocens, etiam non expectatâ sententiâ divortij, propriâ auctoritate cohabitationem adulteræ sine metu restitutionis possit deserere; quia tunc facultatem habet ab ipso DEO *Math. 19.* ubi Christus dicit, quòd uxor dimitti non possit, nisi ob fornicationem.

Dubium est, an Religionis ingressus, vel Ordinis sacri susceptio permissus sit etiam adultero, cum ab eo conjux innocens divertit? *R.* cum distinctione: vel enim conjux innocens statum jam mutavit, Professione emissâ, aut Ordinibus Sacris susceptis, vel nondum illum mutavit.

Si primum, nemo inficiatur, etiam ipsi Religionis ingressum patere. *Si secundum*, iterum distinguendum est, an innocens, ab adultero emendato requisitus, paratus sit reconciliari, vel non, *Si prius*, Religionem ingredi, innocente invito, nequit, etiam si divortium factum, & Ecclesiæ judicio approbatum sit, *Gloss. in c. ex literis 5. V. redire de divort. Sylv. V. divortium q. 10.* Palacios *in 4. dist. 35. D. un. ante 8. porro fol. 783.* Barbof. *in Rubr. ff. solut. Matr. p. 2. n. 22.* Sanch. *l. 10. de Matrim. D. 10. n. 12.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 12.* *Ratio est*, quia quamdiu status urtiusque immutatus non est, innocens nocentem revocare, & cum illo Matrimonium redintegrare, etiam divortio Ecclesiæ judicio instruto, potest. Igitur hoc suo jure privari ab adultero per Religionis ingressum nequit.

Si posterius, Religionis ingressus, vel Sacri Ordinis susceptio eo casu adultero permissus est; quia conjux innocens, reconciliationem non admittens, præsumitur ipsi tacitè dare licentiam mutandi Statum per Professionem Religionis, vel Sacri Ordinis susceptionem, *Hofst. in c. gaudemus 19. de convers. conjug. n. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Abb. *n. 7.* Veracrux *p. 3. Specul. art. 6. prob. 3. concl. 2.* Sanch. *l. cit. n. 16.* Pirhing *libr. 3. tit. 32. n. 73.* *Wiestner ibid. n. 33.* Quod tamen intelligendum est cum duplici limitatione. *Prima est*, ut conjux adulter sit emendatus; nam si conjux innocens adulterum in delicto persistentem non admittat, non potest tribui hoc innocentis culpæ, & moræ: & hinc *c. gaudemus cit.* dicitur, *Eas ad frugem melioris vite conversas noluerint recipere*

pers. Altera, ut adulter reconciliationem à conjugè innocente non semel tantum, sed sæpius sollicitant: quod significat textus c. *gaudemus cit. ibi*, *A te diligenter communiti*; & ratio est, quia omnino decet, ut innocens non statim acquiescat, ne adulter parvi pendat delictum suum, ac iterum in illud labendi ansam sumat.

36. Quæritur 9. Quando conjugè innocenti, altero in infidelitatem, vel Hæresin lapsò, permissum sit Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere? Certum est posse, si conjugè Ecclesiæ iudicio damnatus, si ve per legitimam sententiam Iudicis Ecclesiastici Hæreticus declaratus, & eadem sententiâ divortium perpetuum factum est. *Proceditque hoc*, etiamsi iste ad Fidem Catholicam revertatur, ut statuitur c. *fin. de convers. conjug.* & notat Sanch. D. 15. cit. n. 21. Pirhing tit. *de convers. conjug. n. 39. § 40.* Ratio est, quia tali casu licitum est conjugè Catholico absolutum, & perpetuum divortium instituire, neque tenetur illum etiam resipiscentem recipere, cum divortium perpetuum privet omnibus conjugij iuribus, & commodis. Imò eo casu idem conjugè innocens etiam in sæculo manere potest, nec tamen tenebitur conjugem resipiscentem recipere.

37. Aliud est, quando conjugè innocens ob Hæresin, vel Infidelitatem alterius conjugis sui ab eo divertit autoritate propria; tunc enim tenetur ille resipiscentem recipere; imò ad recipiendum illum compelli potest: conf. transitus ad Religionem, vel Ordinum Sacrorum susceptio nequaquam ipsi permittitur, ut statuitur c. *de illa 6. de divort.* & ratio clara, quia lapsus in Hæresin, vel Infidelitatem, licet notorius sit, secluso Ecclesiæ iudicio, non est causa perpetui divortij, sed solum temporalis, quamdiu scilicet alter persistit in Hæresi; unde illi resipiscenti, cum causa divortij cesset, reconciliari, & Matrimonium redintegrare tenetur. S. Thom. in 4. dist. 35. q. un. art. 1. & receptissima apud DD. sententia.

38. Quæritur 10. Quæ obligatio incumbat uxori, quæ volente, & consentiente, Maritus ad Sacrum Ordinem promotus est? Hæc, si senex sit, & de incontinentia non suspecta, Votum continentia debet edere; si verò juvenis, vel suspecta de incontinentia, Religionem ingredi, & profiteri, ut aperte habetur can. *Episcopus 6. dist. 77. c. conjugatus 5. de convers. conjug.* & sumitur à paritate cum ingrediente Religionem.

Speciale aliquid est in eo, qui post Matrimonium contractum, vivente uxore, cum huius consensu ad Episcopatum evehitur; nam hic ordinari Episcopus nequit, nisi uxor ejusdem, etiamsi senex sit, & de incontinentia non suspecta, Vestem Religiosam prius assumpserit, prout statuitur c. *sa-*

nè 6. de convers. conjug. Idque propter excellentiam Dignitatis, & Statûs Episcopalis, exigentis, ut occasio præcidatur suspitionibus finistris, quibus ansam dare possent uxoris, & mulierum eam stipantium visitationes. Host. in c. *sane cit. n. 3.* Abb. *ibid. n. 2.* Sylv. V. *Matrimonium 8. q. 12. dict. 4.* Covar. p. 2. de *Sponsal. c. 6. §. 3. n. 3.* Azor p. 1. l. 13. c. 13. q. 7. Sanch. l. 7. de *Matr. D. 41. n. 2.* Gonzal. in c. 6. cit. n. 2. Pirhing *de convers. conjug. n. 63.* Wiestner *ibid. n. 29.*

Idem de casu, quo conjugatus assumitur ad Dignitatem Cardinalitiam, dicendum putant Manfred. *de Cardinal. decis. 213.* Majol. l. 1. de *Irregul. c. 34. n. 2.* & nonnulli alij. Sed Sanch. D. 41. cit. n. 4. Barbosa in c. *sane cit. n. 4.* Pirhing n. 63 cit. Wiestner n. 30. melius negant. Neque obstat, quòd etiam Cardinales obtineant Jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesijs sui Tituli; nam licet hoc sit, verè tamen non sunt Episcopi: unde cum de ipsis nihil dispositum sit, in his plus non requiretur, quàm quod aliàs requiritur in volente post contractum Matrimonium suscipere Ordines.

40. Quæritur 11. An uxores, quorum mariti ipsi consentientibus, Ordine aliquo Sacro initiati sunt, his mortuis, cum alio validè contrahere Matrimonium possint? non posse. Patet ex pluribus Juris Canonici textibus can. *quia sunt 10. can. si se 11. can. si qua vidua 12. dist. 28. can. seriatim 14. dist. 32.* Gloss. *fin. in can. quia sunt cit.* Host. in c. *ad Apostolicam 13. de convers. conjug. n. 1.* Joan. Andr. in c. *cum sit 4. eod. fin.* Franc. in c. *un. n. 3. de Vot. in 6.* Turrecr. in *can. seriatim cit. art. 4. n. 7.* Azor p. 1. l. 13. c. 24. q. 11. Sanch. l. 7. D. 40. n. 2. Laym. l. 5. tit. 10. p. 4. c. 3. n. 5. & unus tamen. König hic n. 16. & porro, Wiestner *ibid. n. 19. § 20.*

Difficultas est, unde oriatur hoc Impedimentum? Gloss. in *can. seriatim cit. V. post mortem*, Archid. in *can. quia sunt cit. n. 3.* & nonnulli alij apud Sanch. l. cit. n. 3. volunt inhabilitatem istam provenire ex communicatione actionum inter virum, & uxorem, quæ illius Votum simplex continentia, quod edere debet, Viro ad Ordinem Sacrum promotum, efficiatur solenne.

Sed hæc ratio esse non potest; aliàs etiam uxoris, cujus consensu Vir Professionem emit in Religione, Votum simplex, quod in Sæculo manere volens debet emitte- re, efficeretur solenne, & Matrimonium contrahendum dirimeret; quod verum non est, cum nullus textus Juris eam inhabilem reddat, ipsum autem Votum simplex continentia solum sit impedimentum impediens, non verò dirimens.

42. Quare dicendum, impedimentum istud originem trahere ex sola Constitutione Ecclesiæ, ob reverentiam Sacri Ordinis uxorem

rem ordinati, si hæc in Ordinationem illius liberè consensit, à Matrimonio perpetuò remouentis, ita, ut illa nec licitè, nec validè cum alio viro, post prioris ita ordinati obitum, illud inire possit. Ita Sanch. l. cit. n. 3. Barbof. in can. quia sunt cit. n. 1. Wiestner hinc. 20. fin.

Addidi, si liberè consensit uxor; nam triplex addenda est limitatio. Una est, Impedimentum istud non contrahi, quando vir, eâ invitâ, est ordinatus; quia, ut Sanch. l. cit. n. 4. notat, ratio minime patitur, ut

ex viri delicto, contra ejus voluntatem promoti, id detrimentum uxori innocenti subsequatur. Altera, si uxor, conscia promotionis viri ad Ordines, dissimulavit, & nec expressè consensit, nec dissensit; quia sola dissimulatio in re tam ardua non reputatur consensus, nec Juri uxoris præjudicat, Sanch. n. 5. Tertia, si consensit quidem, sed consensu per vim, dolum, aut metum extorto; ne delicto mariti ipsa prægrauetur, Sanch. n. 5. cit.

S. II.

De Professione Religiosa.

S U M M A R I U M.

43. Professio Religiosa dirimit Matrimonium contrahendum.
44. Et solvit contractum ratum.
45. Habetque hanc vim etiam Professio in Ordinibus Militaribus.
46. Ad deliberandum de ingressu in Religionem novus Sponsus datur timestre.
47. Quo Jure Professio Religiosa dirimat Matrimonium contrahendum? Argumenta Sententiæ, volentis dirimere Jure naturali, vel Divino.
48. Defenditur, dirimere solum Jure Ecclesiastico.
49. 50. Hujus Rationes.
51. Solvuntur Argumenta opposita.
52. Sc. Ex eodem Jure descendit etiam vis dirimendi Matrimonium ratum ante contractum.
57. Et habet hanc vim quacunque Professio solennis valida.
58. Etiam tacita per susceptionem, & gestationem Habitûs.
59. 60. Si hoc fiat intra Clausuram; secus, si extra.
61. Vota simplicia Societatis JESU dirimunt Matrimonium contrahendum.

62. Et secundum aliquos ante contractum ratum.
63. Sed defendenda est negatiua.
64. Solvuntur Argumenta Sententiæ oppositæ.
65. Si conjux post Matrimonium ratum professus Religionem est, uxor relicta in Seculo, valitæ, & licitè ad alia vota transit.
66. Si post consummatum, illicitè quidem, illo mortuo.
67. Validè tamen cum alio contrahit.
68. Respondetur ad Rationem dubitandi.
69. Multo magis per Professionem Religiosam solvuntur Sponsalia de futuro.
70. Sc. An ea solvantur etiam per ingressum in Religionem Probationis causâ?
77. Sc. An volenti Religionem ingredi obstat Juramentum, Sponsalibus firmandis adjectum?
81. Sc. An qui post jurata Sponsalia Religionis Voto se adstrinxit, possit licitè contrahere Matrimonium animo ante consummationem ejus ingrediendi Religionem?
85. Sc. An Religionem ingredi adhuc possit, qui post Sponsalia Sponsam suam corrupit?

43 **Q**Uæritur 1. Quam vim dirimendi Matrimonium habeat Professio Religiosa?
2. Professio Religiosa dirimit Matrimonium, non solum contrahendum, sed etiam contractum, si ratum tantummodo sit.

Quòd Matrimonium contrahendum dirimat, patet ex can. proclivis 2. caus. 20. q. 3. can. impudicas 11. can. Virginem 12. caus. 27. q. 1. c. meminimus 3. & c. fin. h. tit. c. un. v. presentis de vot. in 6. & decisum est à Trid. sess. 24. de sacr. Matr. can. 9. ibi, Siquis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, Castitatem, solenniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto anathema sit.

44 Quòd verò etiam dirimat Matrimonium

ante contractum, si ratum sit tantum, sumitur ex c. verum 2. Sc. ex parte 14. de convers. conjug. & iterum decisum est à Trid. sess. cit. can. 6. ibi, Siquis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugis, non dirimi, anathema sit. Ratio ea datur; quia Professio Religiosa est quædam mors Civilis, & Spiritualis juxta illud Coloss. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo: Sicut ergo mors naturalis dissolvit Matrimonium etiam consummatum, ita mors ista Spiritualis dissolvit vinculum Spirituale Matrimonij rati.

Venit autem hic nomine Professionis 45 Religiosæ etiam Professio, quæ edi solet ab Equitibus Ordinum Militarium, qui Cæli-

batum, & Castitatem perfectam ex instituto suo profitentur; nam hi verè Religiosi sunt, prout sunt Equites Melitenses, S. Mariae Teutonicorum &c. Secus dicendum de ijs Equitibus, qui profitentur Castitatem tantummodo conjugalem, ut sunt Equites Alcantaræ, Calatravæ, S. Jacobi, Mortefiæ &c. nam horum Vota composibilia cum Matrimonio sunt, atque adeo illud non solvunt. Vivian. de Jur. Patron. c. 2. n. 16. Vincent. de Justis de Dispens. Matr. l. 2. c. 10. n. 41. Dien. p. 3. tr. 2. resol. 30. König de Spons. duor. n. 8.

46 Conceditur in hunc finem novis Sponsis de præsentis himestre, computandum à die contracti Matrimonij, vel potius præfixi à Judice termini, ut Lib. 3. tit. 32. n. 3. annotavi, ita, ut intra hoc tempus consummare Matrimonium non teneantur, sed deliberare possint, an velint Religionem ingredi, & secundum Regulam illius profiteri c. ex publico 7. de convers. conjugat. Potestque hoc tempus arbitrio Judicis vel restringi, vel prorogari, ut tit. cit. n. 1. dixi. Si tamen elapsum sit, & transitus ad Religionem nondum factus, cogi potest Sponsus de præsentis etiam per Excommunicationem, ut vel conjugi exigenti debitum reddat, vel propositum suum Religionem ingrediendi exequatur. Gloss. in c. ex publico cit. V. intra duorum. Ant. de Butr. ibid. n. 13. Sylv. V. Votum 5. q. 3. Sanch. l. 2. de Matr. D. 24. n. 23. Wiefner hic n. 25. & Libr. 3. tit. 32. à n. 2.

47 Queritur 2. Quo Jure Professio Religiosa Matrimonium postea contrahendum irritet? Non est una DD. sententia; nam aliqui cum Almain. de potest. Ecol. c. 15. id referunt in Jus positivum Divinum. Alij verò id volunt oriri ex Jure naturali, quam sententiam defendit etiam S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 3. in Corp. S. Bonavent. ibid. art. 2. q. 1. Sot. l. 7. de Just. q. 2. art. 5. §. sed interrogas, Henric. l. 12. de Matr. c. 5. n. 2. fin. Vega tom. 2. Summ. c. 57. cas. 11. Et alij plures apud Sanch. l. 7. de Matr. D. 26. n. 4. Fundantur 1. textu can. siquis Sacro 17. §. velate, caus. 27. q. 1. ubi ex Epistola Syricij Papæ ij, qui Matrimonia contrahunt post Votum solenne, dicuntur separandi Verbo Domini, & Canonica Auctoritate. Igitur non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino Matrimonium tale est irritum. 2. Jure naturæ res uni tradita invalidè traditur alij; nemo enim transferre potest in alium, quod jam non habet; atque per Votum solenne Religiosi dominium personæ transfertur in DEUM, ita ut Religiosus jam non habeat dominium sui corporis ad usum Matrimonij; ergo Jure naturæ tale matrimonium irritum est. 3. Impossibilitas Matrimonij contrahendi cum Professione oritur ex Voto solenni; atque Votum solenne ex natura sua dirimit Matri-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

monium contrahendum, cum impediatur traditionem plenam corporis ad usum Matrimonij, qualem traditionem Matrimonij essentia exigit; ergo &c.

Sed dicendum, vim dirimendi Matrimonium contrahendum in Professione Religiosa descendere ex solo Jure Ecclesiastico. Ita Gloss. in c. rursus 6. V. apud DEUM, h. tit. Joan. Andr. ibid. n. 2. Host. n. 2. Abb. n. 6. Ancharan. n. 3. Alex. de Nevo n. 10. §. 11. Angel. V. Matrimonium 3. imped. 5. princ. Brunell. de Sponsal. concl. 31. n. 1. §. 2. Gaëta repet. can. ad limina 30. q. 1. S. 4. n. 464. §. 65. Scot. in 4. dist. 38. q. un. in fin. Veracruz p. 1. Specul. art. 31. concl. un. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. S. 4. n. 7. Suar. tom. 3. de Relig. l. 2. c. 6. §. 7. Valq. 1. 2. D. 165. Sanch. l. 7. de Matr. D. 26. n. 4. fin. Hurtad. D. 15. difficult. un. Conink D. 31. de Matr. dub. 6 n. 67. Pont. l. 7. c. 22. n. 4. Perez D. 26. de Matr. sect. 6. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 6. n. 4. Vallens. hic n. 3. Zoel. n. 8. Pirhing n. 15. Schambog. n. 11. König n. 12. Wiefner n. 24. & alij tum TT. tum JCU magno numero.

Ratio est 1. quia Professio Religiosa Matrimonium contrahendum non irritat, quatenus Votum est, sive promissio continentia liberè facta DEO; alias ea vis competeret etiam Votis simplicibus continentia, & Religionis, quod falsum est; Igitur illud irritat præcisè, quatenus in ea inclusum est Votum continentia solenne; atque Votorum solemnitas solum habetur à Jure Ecclesiastico, ut patet ex c. un. de Vot. in 6. ibi: Nos attendentes, quod Voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesie est inventa. Igitur Jure solum Ecclesie Religiosa Professio Matrimonium contrahendum dirimit. 2. olim Professio Religiosa non dirimebat Matrimonium subsequens, ut constat ex can. siqua virgo 22. can. quotquot 24. & can. Virgines 25. caus. 27. q. 1. ubi Virginibus Sacris, quæ post Votum continentia nubunt, poena indicitur, nec tamen à nuptijs separari jubentur. Non autem nunc immutata est Professionis natura; ergo illa etiam nunc Matrimonium contrahendum ex natura sua non dirimit. 3. In Jure naturæ, & Divino positivo directè, & propriè dispensare Pontifex nequit; dispensat autem in Professione Religiosa ad contrahendum Matrimonium, & sic reipsa dispensavit cum Ramiro Rege Arragonum, cum Nicolao Justiniano Venero, cum Constantia Moniali Siciliae Regis filia, cum Casimiro Rege Poloniae, & alijs, prout dictum est supra n. 13. ergo &c.

Data autem vis ista dirimendi Matrimonium contrahendum est Professioni Religiosæ Jure meritissimo; cum enim per tale Votum, & Professionem Religiosus se, suumque corpus DEO in Religione publicè, & solenniter offerat, & tradat, æquum fuit, ut Ecclesia tale impedimentum dirimens

Ff

cidem

eidem Professioni adjiceret, ne Religiosi possent pro libitu ex statu perfectiore, in quo se stabiliter DEO obligarunt, ad statum imperfectiorem descendere, & fidem DEO datam cum publico scandalo violare.

51 Ad Argumenta n. 47. allata non difficulter responderi potest. Ad 1. In textu cit. vis dirimendi Matrimonium contrahendum simul refertur in Verbum Domini, quo consilium continentiae perpetuae datum est, & in Canonicam auctoritatem, quae Impedimentum hoc constitutum est. Ad 2. Traditio, quae ex Professione Religiosa descendit, fundat obligationem Religionis tantum, ea vero, quae fit per Matrimonium, inducit Justitiae obligationem; cons. sunt traditiones diversae rationis: non repugnat autem simul stare traditiones rationis diversae, ut patet in Matrimonio, & servitute; nam licet per hanc servus tradatur Domino, & in ejus possessione sit, illa tamen non impedit, quin idem servus per Matrimonij contractum se tradere uxori possit. Ad 3. Votum solenne, sicut etiam simplex Castitatis solum facit traditionem Matrimoniam ex natura sua illicitam, non tamen reddit illam ex natura sua invalidam; alias etiam invalidè contraheret, qui ligatus est Voto Castitatis simplici.

52 Quæritur 3. Quo Jure Professio Religiosa habeat vim dirimendi Matrimonium Ratum ante contractum? Triplex est Sententia; nam 1. aliqui vim istam Professioni tribuunt ex Jure naturali. Rationem dant; quia constituit hominem in statu perfectiore, & qui repugnat statui conjugali. Conf. Quia Professio Religiosa est mors quaedam Spiritualis; igitur sicut mors naturalis solvit Matrimonium consummatum, ita ratum saltem solvet Jure naturali Professio.

53 2. Alij, utque maximi nominis DD. ajunt, vim istam Professioni Religiosae competere Jure positivo Divino. 1. Quia SS. Canones vim hanc eidem non tribuunt, sed supponunt aliunde competere, ut patet ex *cau. desponsatam 27. caus. 27. q. 2. ibi, Puella desponsata licere Monasterium sibi eligere*, quae verba non constituunt Jus novum, sed constitutum declarant. 2. Clariss. Alexander III. *c. ex publico 7. de convers. conjug.* efficaciam istam deducit ex Sacri interpretatione eloquij. 3. Tam Matrimonium ratum, quam consummatum insolubilitatem suam habet à Jure Divino *Matth. 9. v. 6.* ergo nisi potestas illud dissolvendi Pontifici sit concessa, ipse neutrum dissolvere sua Lege poterit: non autem constat ex ullo Scripturae textu, eam ipsi concessam esse à Christo, ergo &c. 4. Imò potestatem hanc negatam esse Pontifici expressè agnovit Innocentius III. *c. ex parte 14. de convers. conjug.* ubi ait, *Matrimonium, inter legitimas personas per verba de presenti contractum, illis viventibus, in nullo casu posse dissolvi - - nisi*

forte secus fieret ex revelatione Divina, que sperat omnem Legem, sicut à quibusdam sanctis legitur esse factum.

54 Tertia, & communior, eaque probabilior, cons. tenenda Sententia ait, Conjugij rati dirimendi vim, Professioni Religiosae concessam, descendere immediatè à potestate, & Jure Ecclesiastico; sed antiquissimo, à temporibus Apostolorum introducto. Ita Host. in *c. ex publico cit. V. consummatum*, Joan. Andr. *ibid. n. 7. Felin. conf. 16. n. 19. Medin. l. de Sac. homin. contin. à c. 26. Less. l. 2. de Just. c. 41. n. 69. Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 6. à n. 20. Garc. p. 7. de Benef. c. 10. n. 76. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. à n. 3. Perez de Matr. D. 20. sect. 3. n. 11. Palao tr. 28. D. 3. p. 2. §. 4. n. 4. Fagn. in *c. ex publico cit. n. 2. Zoccl. tit. de convers. conjug. n. 18. Pirhing ibid. n. 45. Wiestner n. 14. & apud hos alij. Ratio est 1. quia ex nullo Scripturae textu habetur, quòd Professio Religiosa, eam vim dissolvendi Matrimonium Jure Divino, vel naturali habeat, 2. Si Jure Divino, vel naturali dissolveretur Matrimonium ratum, etiam hoc dissolveretur per Vota Simplicia Societatis JESU; nam etiam ista Religiosum faciunt, neque à Professione differunt, nisi quoad solennitatem, quae Jure solum Ecclesiastico, ut n. 49. ostendi, est introducta; atqui per Vota simplicia Societatis Matrimonium Ratum, ante contractum, non dissolvitur, ut n. 63. dicitur, ergo &c.**

Argumentum primae Sententiae nimium 55 probat; probat enim, quòd Jure naturali Matrimonium Ratum ante Contractum solvatur etiam per Vota simplicia Societatis, & Ordinem Sacrum, cum etiam per hos homo constituatur in perfectiore statu, Ad Conf. etiam emissio Votorum Simplicium Societatis est mors quaedam Spiritualis. Deinde Professio est mors quaedam Metaphorica; igitur quoad omnia non debet esse similis morti naturali: imò in uno aliquo præcipuo effectu eidem dissimilis est, quippe quae stare cum Matrimonio consummato potest, cum quo tamen stare non potest mors naturalis, cum hæc omnia solvat.

56 Neque magis efficacia sunt Argumenta secundae Sententiae. Ad 1. Esto, allegari nequeat Canon aliquis, vel Decretum, quo Professioni ea vis primò est indulta, hanc tamen ei ab Ecclesia aliquando indultam, ex facto, & antiqua traditione habetur, ut *l. cit.* observant Perez n. 19. Pal. n. 4. Wiestner n. 16. Ad 2. in *c. cit.* additur, illam insolubilitatem, quae *Matth. 19.* dicitur, Matrimonium nullo casu, præter causam fornicationis, dissolvi posse, intelligendam esse de Matrimonio consummato. Ad 3. etiam Matrimonium ratum insolubilitatem suam habet à Jure Divino, non tamen absolutam, ut Matrimonium consummatum, sed conditionatam, nisi videlicet dissolutionem illius gra-

gravis aliqua causa suadeat. Ad 4. Intelligi textus ille potest, quod dissolvere Matrimonium ratum Pontifex nequeat sine causa; nam posse non censetur, quod non possumus licite. Sancti illi deseruerunt Sponsas suas ex revelatione Divina particulari sibi facta, non universali, & in Evangelio promulgata. Ceterum etsi Matrimonium Ratum insolubilitatem suam à Jure Divino habeat, tamen Pontifex universali sua potestate dissolvere illud potest; hac enim potest omnia, quæ ad promovendum in Ecclesia Cultum Divinum, & animarum bonum necessaria, vel multum conducunt sunt, qualis etiam est dissolutio Matrimonij casu Professionis Religiose editæ.

57 Quæritur 4. Qualis Professio vim dirimendi Matrimonium contrahendum, vel solvendi ratum antè contractum habeat? 1. Solum legitime, & actû Professio impediuntur à contrahendo Matrimonio, & solvuntur à Rato antè contracto. Et hinc, ut Impedimentum hoc dirimens contrahatur, requiritur 1. ut Professio emissã sit in effectu; non enim sufficit propositum, vel etiam Votum Religionem ingrediendi c. ex parte 14. de convers. conjug. 2. ut sit solennis Professio, Vota tria substantialia continens; quia Vota Simplicia, etsi Religiosa sint, ut n. 61. § segg. dicitur, licet Matrimonium contrahendum dirimant, non tamen solvunt Ratum antè contractum: multò minus illud dirimit Votum Castitatis simplex, extra Religionem editum; imò istud Matrimonium contrahendum duntaxat impedit, non autem invalidum efficit, ut ostendam n. 88. 3. Ut Professio hæc sit edita liberè; nam si quis per vim, aut metum cadentem in constantem virum Religionem Professus est, cum Professio talis non teneat, ille non prohibetur Matrimonium celebrare. Navar. Man. c. 22. n. 51. § 52. 4. Ut non sit edita ante exactum annum 16. ætatis, & annum integrum probationis; nam sic edita, seclusa Dispensatione Apostolica, invalida est, & conf. nisi postea ratificata fuerit, impedimentum non potest inducere, juxta Regulam, Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum. 5. Ut emittatur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi Religioni; nam Professus emittendo Professionem quasi contrahit cum Religione; conf. ex utraque parte consensus requiritur. 6. Ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apostolica approbata. Perinde autem est, qualis illa Religio sit; nam ut n. 45. monui, etiam per Professionem, emissam in Ordinibus Militaribus Matrimonium Ratum dissolvitur, modò ipse Ordo substantialia Religionis habeat.

58 Dubium est, an vim dirimendi Matrimonium solum habeat Professio expressa, an verò etiam tacita per susceptionem, & R. P. Schmalzgrueber L. IV.

gestationem Habitûs Professorum spontè factam? 1. Utrique vim istam competere, prout colligitur ex c. meminimus 3. & c. consuluit 4. h. tit. Difficultas est, quando susceptione Habitûs pro Professione tacita haberi debeat? 2. Distinguendo: Vel enim susceptione Habitûs Professorum facta est extra Monasterium, seu Congregationem Regularem, vel intra illud. Si hoc secundum, & Habitum suscipiens atatem legitimam habuit, simulque illum per annum gestavit, assumptio illius operatur Professionem tacitam c. statimus 23. de Regular. & c. is qui 1. eod. in 6.

Si primum, iterum distinguendum est; nam si præter assumptionem Habitûs extra Claustrum Monasterij fiat promissio alicujus ex substantialibus Regulæ, de Jure c. fin. b. tit. Votum solennizatur, seu fit solenne, ita, ut impediatur, & dirimat Matrimonium postea contrahendum. Addidi, de Jure c. fin. b. tit. nam modò post Trid. hoc non procedit; quia ex hujus Decreto sess. 25. c. 15. de Regular. ut valeat Professio, requiritur, ut per annum à suscepto Habitu in Probatione Professus steterit. Fagnan. in c. fin. b. tit. n. 11.

At si extra Claustrum suscipitur solum Habitûs Professorum, non tamen promittitur aliquid ex substantialibus Regulæ, tunc non inducitur Professio tacita, quancumque tempore Habitus deferatur, nec dirimitur Matrimonium postea contractum, sed inducitur tantum Votum simplex, quod impedit Matrimonium contrahendum, ut dicitur c. consuluit cit. & notant Alex. de Nevo ibid. n. 13. in cas. 3. Vivian. c. eod. princ. Barbof. ibid. n. 1. Fagnan. in c. fin. n. 14. Honor. hic n. 7. Pirhing. n. 23. Schambog. n. 12. & alij passim. Neque obstat, etsi suscipiatur Habitus extra Monasterium de manu ejus, qui potestatem habet incorporandi, seu admittendi ad Religionem, ut colligitur ex c. consuluit cit. ubi non attenditur, an tradens Habitum habuerit, vel non habuerit potestatem incorporandi, sed solum ponderatur, an suscipiens Habitu promiserit aliquid ex substantialibus Religionis v. g. Obedientiam. Alex. de Nevo l. cit. n. 10. Pirhing n. 22.

Quæritur 5. An vim dirimendi Matrimonium habeant etiam Vota simplicia, edita post biennium Novitiatus in Societate JESU? Certum est, quod dirimant Matrimonium contrahendum, quamdiu non dissolvuntur, ut patet ex Constitutione Gregorij XIII. incipit Ascendente edita 8. Calend. Jun. 1584.

An verò etiam Matrimonium Ratum ante contractum solvant, DD. disputant. Affirmant quidam apud P. Wiestner hic n. 26. sed nominibus eorum non relatis: & probari hoc possit 1. quia Professio Religiosa vim dissolvendi vinculum Matrimonij ratum

ti habet, quòd per illam eam emittens efficiatur Religiosus; atqui non minùs efficitur Religiosus, qui Vota simplicia post biennium Novitiatus emittit in Societate, ut patet ex *Const. Gregor. XIII. cit.* ubi Pontifex contrarium asserere præsumentes, Excommunicatio- nis ipso facto incurrendæ, & Sedis Apostolicæ absolutioni reservatæ, & alijs gravissimis pœnis subjecit. Igitur sicut Professio, ita etiã Vota simplicia Societatis Matrimonium ratum diriment. 2. Ex *Const. S. Pij V. incipit Dum indefesse edita 7. Jul. 1571.* in Societatis Religiosis, etsi simplicibus duntaxat Votis ligati sint, locum habent omnes dispositiones in favorem aliorum Religiosorum Mendicantium factæ; atqui non minùs favor aliarum Religionum est, quòd Vota in illis emissã vim dissolvendi Matrimonium ratum habeant; ergo &c. 3. Vota hæc habent vim dirimendi Matrimonium contrahendum non minùs, ac Professio solennis per *Const. cit.* ergo etiã habebunt vim dissolvendi Matrimonium ratum. 4. Si Vota simplicia Societatis non haberent vim dissolvendi Matrimonium ratum, Conjux relictus in sæculo expectare deberet nimis diu cum magno suo incommodo, usque dum ingressus Societatem emitteret Professionem. 5. Imò Vinculum Matrimonij rati foret impedimentum essentiale ingrediendi Societatem, invita conjuge. Atqui id hujusmodi Impedimentis non accensetur, ut patet ex *Const. Societ. p. 1. c. 3. n. 6. & Exam. c. 2. n. 4.* ubi consummatum duntaxat exprimitur, ergo &c.

63 Sed dicendum omnino, Vota simplicia Societatis non habere vim dirimendi Matrimonium ratum antè contractum. Ita Henricus l. 11. de Matr. c. 2. n. 7. Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 2. n. 3. Vasq. in 1. 2. D. 165. c. 10. Sanch. l. 2. de Matr. D. 18. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 3. Pirh. hic n. 26. Schambog. n. 21. Wiestner n. 27. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 5. n. 35. & teste P. Wiestner l. cit. DD. moderni Societatis unanimiter. Ratio est 1. quia vim dirimendi Matrimonium ratum ante contractum Status Religiosus accepit non à Jure naturali, vel positivo Divino, sed Ecclesiastico tantum, ut n. 54. ostensum est; & quidem hoc Jure, ut communiter c. ex parte 14. de convers. conjug. & Trid. sess. 24. can. 9. expli- cant, vis ista tribuitur soli Professioni, quæ per Vota solennia Religionis, eaque ex parte tam acceptantis, quàm voventis perpetua habetur. 2. Quia Vota simplicia Societatis facta sunt impedimentum dirimens primum per *Const. Ascendente cit.* nam ante illam his Votis obstricti Matrimonium validè potuerunt contrahere, ut Suar. l. cit. n. 14. Perez D. 20. sect. 4. n. 13. Wiestner hic n. 27. notant atqui per cit. *Const.* Votis istis tribuitur solum vis dirimendi Matrimonium contrahendum, non verò Ratum an-

tè contractum, ergo &c. 3. Quia finis, ob quem Gregorius *Const. cit.* vim Matrimonium dirimendi concessit Votis simplicibus Societatis, erat, ut eidem Societati adversus Sacrilegam Defertorum temeritatem, injurias, & imposturas confuleret, atqui hic finis cessat in Matrimonio antè contracto, ergo &c.

Argumenta allata in contrarium non sunt efficacia. Ad 1. Professio Religiosa Matrimonium ratum dirimit, non quia Religiosum facit, sed quia favor iste ipsi concessus est à Jure Ecclesiastico: unde extendi istud non debet ad Vota simplicia Societatis, cum his concessum plus esse non pateat, quàm ut dirimant Matrimonium contrahendum. Ad 2. S. Pius V. in *Const. cit.* non loquitur de conditionibus, quæ Votis annexæ sunt, sed de prærogativis, favoribus, & privilegijs, quæ Ordinum Mendicantium personis concessa sunt; nam ista vult Societatis Religiosis esse communia, si speciali ejusdem Instituto non repugnent. Ad 3. Vis dirimendi Matrimonium contrahendum separabilis est ab ea, quæ tendit ad dissolvendum Matrimonium ratum antè contractum: unde ex priorè ilatio fieri ad posteriorem nequit. Ad 4. Huic incommodo provideri potest, si conjux Societatem ingressus, primo anno Novitiatus elapso, statim admitteretur ad Professionem, quod faciendum eo casu censent Suar. l. cit. n. 13. Perez n. 12. Ad 5. Non sequitur, quòd Matrimonium ratum sit impedimentum essentiale in Societate; nam Matrimonio rato adstrictus, sicut alias Religiones, ita etiã Societatem, conjuge invita, inire potest, & ibi Professionem edere, cum in hoc institutum Societatis Religionibus nequaquam deviet.

Quæritur 6. An si maritus, postquam cum uxoris consensu ad Religionem transit, & in ea Professionem edidit, in ipsa decessit, uxor in Sæculo manens aliud Matrimonium possit contrahere? R. Distinguendo: Vel enim Matrimonium inter illos ratum duntaxat fuit, vel etiam consummatum. Si primum, ejus vinculum per Professionem dissolvitur, ut hactenus dictum est: & propterea conjux relicta in sæculo, non tantum viro mortuo, sed superflite etiã indubitato ad alia Vota transire potest. Si secundum, iterum certum est, ejusmodi conjugem post mortem mariti sui non posse aliud Matrimonium contrahere licitè, ob Votum continentia perpetuum, quod ex Juris dispositione debet emittere.

Dubium est, an eadem uxor ad ita contrahendum post mortem mariti reddatur omnino inhabilis? Affirmant Goffred. Summ. tit. de convers. conjug. n. 2. 85. ult. Host. Summ. eod. n. 3. Joan. Andr. in c. cum sit 4. tit. cit. fin. Ancharan. ibid. fin. Paludan. in 4. dist. 38. q. 3. art. 5. concl. 1. n. 29. & alij apud Sanch.

Sanch. l. 7. de Matr. D. 32. n. 6. & videtur istud suaderi ex eo, quod maritus, & uxor sibi mutuò communicent Jura, & actiones arg. can. si quis ex uno 3. caus. 30. q. 4. & c. Martinus 4. de cognat. spirit. igitur si conjug ingressus Religionem profiteatur soleniter, etiam Votum continentiae, quod alter in saeculo manens emittere debet, solenne fiet, & conf. etiam post mortem conjugis sui Matrimonium cum alio contrahendum dirimet. Conf. à pari, quia si uxor consenserit in Ordinationem viri sui, illa post mortem viri sui non potest validè contrahere aliud Matrimonium, ut dictum est supra n. 40. igitur idem dicendum videtur in casu, quando maritus post consummatum Matrimonium cum consensu uxoris ingressus Religionem est.

67 Sed dicendum, etsi talis uxor relicta in saeculo, post editum Votum continentiae, marito suo mortuo, illicitè contrahat Matrimonium, non impediri tamen, quin illud contrahat validè. Ita Gloss. in can. seriatim 14. V. post mortem dist. 32. Zabarell. in c. cum sit cit. in fin. & in Clem. un. n. 18. q. 12. de Consang. Monald. Summ. tit. de Vot. conjug. §. item quid si licentiam, Sanch. D. 32. cit. n. 8. Pirhing. tit. de convers. conjug. n. 5. not. 3. König hic n. 16. §. porro, Wiestner ibid. n. 28. Ratio est 1. quia contrarium nullo Juris textu probari potest. 2. quia deest voventis intentio; uxor enim non vult, nisi simplex Votum Continentiae edere. 3. Quia Votum Solenne non fit, nisi per Professionem in Religione approbata, vel susceptionem Ordinis Sacri c. un. de Vot. in 6.

68 Ad Argumentum ductum ex can. si quis cit. dico, ibi sermonem esse de actionibus, quae non ex animi, sed corporis actu oriuntur, ut Compaternitas ex levatione Baptizati ex Sacro fonte: ex quo duci Argumentum ad praesentem casum non potest, cum materia impedimentorum sit odiosa. Ad Conf. Uxor, marito de licentia illius Ordinis initiato, etiam post mortem ejus, nequit validè cum alio Matrimonium contrahere, non ratione Voti Continentiae, quod emisit, sed ob reverentiam Sacrae Ordinationis; Igitur paritas non est cum uxore, cujus maritus de licentia ipsius Professionem in Ordine aliquo Religioso edidit. Et si etiam esset paritas, & eadem Religiose Professionis, quae Sacrae Ordinationis in hoc casu ratio esset, cum Constitutio Matrimonij inhabitatem inducens, ut dictum est, odiosa sit, ab hac ad illam ex sola rationis paritate extendi non debet.

69 Quaritur 7. Quanta sit vis Status Religiosi ad dissolvenda Sponsalia de futuro? Hæc multo magis, quam Matrimonium Ratum, Professione Religiosa solvuntur, cum istorum vinculum minus forte sit, & ad Contractum Professione solubilem ordinentur, ut aded à majori ad mi-

nus duci Argumentum possit ex c. verum 2. c. ex public. 7. c. ex parte 14. de convers. conjug. Sanch. l. 1. de Matr. D. 42. n. 1. Pont. l. 12. de Matr. c. 10. n. 1. Wiestner hic n. 29.

Dubium est, an per solam Professio-
nem, an verò etiam per ingressum in Religionem probationis causâ dissolvantur Sponsalia, si Professio non sit secuta? Triplex est sententia. Prima vult, ex parte neutrius ea solvi, nisi sequatur Professio, Ita Durand. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. Palud. ibid. q. 1. art. 3. cas. 5. §. de Ordine n. 23. Armill. V. Sponsalia n. 12. Turrecr. in can. ubi non est 30. q. 2. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. princ. n. 11. §. sexto, Brunell. de Sponsal. concl. 8. n. 1. Carrer. l. 1. de Sponsal. c. 15. & alij apud Sanch. D. 42. cit. n. 1. Rationem dant, quia Novitiatui eam vim nuspian tribuunt Jura, & sicut in saeculo manens non renuntiat Juri sibi quaesito per Sponsalia à se contracta cum tali Novitio, ita nec Novitius Religionis ingressu, quòd Novitiatu non sit Status incompatibilis cum Sponsalibus.

70 Altera sententia docet eo casu Sponsalia dissolvi ex parte utriusque. Ita Joan. Andr. in c. veniens 5. de Sponsal. n. 2. Sylv. V. Sponsalia q. 10. cas. 2. Navar. Man. c. 22. n. 26. Gutier. c. 25. de Matr. n. 2. §. limitant. Sanch. D. 42. cit. n. 2. Bonacin. tom. 1. q. 1. de Sponsal. p. 5. n. 2. Rosign. de Sponsal. II. p. not. 3. n. 2. Fundantur; quia sicut se habet Professio Religiosa ad Matrimonium ratum, ita se habet Novitiatu ad Sponsalia. Igitur sicut Professio ob Status assumpti perfectionem dissolvit Matrimonium ratum, ita & Novitiatu ob ejusdem perfectionis participationem dissolvit Sponsalia. Conf. Nam Sponsalibus inest tacita hæc conditio, Si non ingrediar Religionem. Arg. c. verum 2. de convers. conjugat. hæc autem conditio, altero Religionem ingresso deficit; ergo Sponsalium obligatio erit dissoluta.

71 Tertia Sententia inter duas priores media, & melior fateatur quidem, Sponsalia dissolvi ex parte manentis in saeculo, non verò ex parte Novitij: proinde si hic ad saeculum revertatur, obligabitur ad Sponsalia per nuptialem contractum adimplenda. Ita Petr. de Ledesm. de Matr. q. 45. art. 3. dub. 2. Henriq. l. 11. de Matr. c. 14. n. 3. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 249. n. 1. Pont. l. 12. c. 10. n. 4. Tann. tom. 4. D. 8. dub. 4. n. 47. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 3. Palao tr. 28. D. 1. p. 18. n. 3. Perez D. 9. sect. 3. n. 7. §. 8. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 17. Vallens. tit. de Sponsal. §. 4. n. 2. Zæf. n. 27. §. 28. Pirhing. n. 5. Engl. §. 3. n. 7. Schambog. n. 62. §. 63. König n. 65. Wiestner hic n. 31. & hoc teste plerique RR.

72 Quòd Sponsalium obligatio non cesset ex parte Novitij, inde ostenditur; quia ingressus in Religionem vim tollendi Sponsalia neque habet ex natura sua, cum non sit status impossibilis cum Matrimonio, hoc ipso, quia

quia licitus est egressus: neque etiam id habet ex Jure positivo, cum tale Jus nusquam extet; ergo licet, quamdiu in Novitiatu manet, adimplere Sponsalia, utpote interea suspensa, non teneatur, tenebitur tamen, si Novitiatu egrediatur, & pars altera in saeculo manens ita voluerit.

74 *Quod verò ex parte manentis in saeculo solvantur Sponsalia*, ratio est, tum, quia Religionem ingrediens tacite, & ipso facto Sponsalibus renuntiasse censetur; tum quia durum foret alteri parti remanenti in saeculo expectare, donec Sponsus Professionem fecerit, aut denuo egrediatur; tum denique, & praecipue, quia hujusmodi ingressus, & regressus, cum levitatis, & inconstantiae quoddam signum sit, censetur habere speciem civilis maculae, merito displicentis Sponsae, ut ista proinde non immerito in saeculum regressi conjugium horreat. *Conf.* Quando facta est notabilis mutatio ex una parte, pars altera resilire à Sponsalibus potest, ut dictum est *Tit. 1. n. 185. Et duob. seqq.* talis autem in casu praesenti censetur facta ex parte Sponsi ingressi Religionem, & regressi ad saeculum; igitur ex hoc saltem capite Sponsa pro sua parte pronuntianda est libera, ut cognita tali mutatione, possit resilire, & cum alio contrahere.

75 *Ex quo cadit Argumentum primae Sententiae*; quamvis enim Novitatus non sit status impossibilis cum Matrimonio, tamen ipsis Sponsalibus ex Juris dispositione facta haec conditio inest, *Nisi superveniat notabilis mutatio*: quae cum, prout modò dictum est, intervenerit, Sponsalia saltem remanentem in saeculo non amplius obligabunt.

Ad Fundamentum secundae Sententiae alio modo se habet Professio Religiosa ad Matrimonium ratum, & alio Novitatus ad Sponsalia; nam Professio Religiosa inducit vinculum fortius, quam Matrimonium ratum; igitur mirum non est, quòd ea superveniente, hoc dissolvatur. Contrarium accidit in Novitiatu respectu Sponsalium; nam Novitatus nullum inducit vinculum, aut obligationem ad manendum, vel profitemdum in Religione; igitur quamvis obligationem Sponsalium antea contractam, dum Novitatus in probatione manet, suspendat, non tamen tollere illam omnino poterit, sed haec obstacula remoto, nempe regressu in saeculum facto, urgebit regressum.

76 *Ad Conf.* Conditio illa, quae Sponsalibus inest, tantum facit, ut licitus sit Sponsalibus adstricto ingressus in Religionem; non verò facit, ut si regressus ad saeculum sit, absolvatur ab obligatione Sponsalium, cum ut *suprà* dictum est, nullo Jure haec vis ingressui soli per Novitatum concedatur.

Dices: Conditio Novitorum est perfectior, quam Sponsorum; igitur jam censetur ingressus omnino liber à Sponsalibus,

cum ipse his non aliter se obligaverit, quam sub conditione, *Nisi statum perfectiorem elegero.* *N. Conf.* nam etiam perfectius est dare 100. aureos pauperi, quam diviti, nec tamen promissione 100. aureorum pauperi facta tollitur obligatio eos dandi diviti, si eos debeo eidem ex promissione, vel alio capite. Dum dicitur, Sponsalia iniri sub tacita conditione, *Nisi statum perfectiorem elegero*, id intelligendum est de Professione Religiosa: quod indicat vox *status*, quae perpetuam indicat, qualem Novitatus ex sua natura non habet.

Quaeritur 8. An Sponso, Religionem ingredi volenti, obstat Juramentum, Sponsalibus firmandis adjectum? Affirmant *Navar. in can. non dicatis 12. q. 1. n. 3. Angl. florib. p. 2. q. 11. de Imped. Matr. Rebell. l. 4. de oblig. Jusf. q. 8. sect. 6.* & alij quidam, praesertim *VV.* quos refert *Sanch. l. 1. de Matr. D. 43. n. 2.* Hi proinde *DD.* putant, casu, quo Titius v.g. Sponsalia contraxit cum Bertha, Juramento addito de fide eidem servanda, cum ante, quam Religionem ingrediatur, obligari ad Matrimonium contrahendum, quamvis liberum deinde eidem sit, an velit Matrimonio contracto, & non consummato, Religionem ingredi, & in eadem profiteri.

Colligi Sententia haec videtur 1. ex *c. 78 commissum 12. de sponsal.* ubi Alexander III. Episcopo Oxoniensi, super ejusmodi Sponsalibus, & his superveniente proposito Religionis consulenti, respondit, *tutius esse ei (Religione Juramenti servata) prius contrahere, Et postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* 2. Juramentum, quod sine peccato, & praedjudicio tertij servari potest, si ejus observatione non impediatur majus bonum, servari debet *c. cum contingat 28. de Jurejur. & c. quamvis 2. de Pact. in 6.* atqui Juramentum istud, Sponsalibus additum, servari potest sine peccato, & praedjudicio tertij, neque est impeditivum majoris boni, cum post Matrimonium ratum adhuc licitus sit ingressus in Religionem, ergo &c. 3. Qui juravit se soluturum usuras, licet post solutionem possit repetere, ob reverentiam tamen Juramenti tenetur prius eas solvere, nisi impetraverit Juramenti relaxationem *c. debitores 6. de Jurejur.* 4. Juramentum factum in favorem tertij, cui jus est acquiritum; non potest in melius commutari: & hinc qui Titio diviti promisit 100. non satisfacit, si pauperiori Cajo det 1000. 5. Debitor, si solvendo sit, non potest prius ingredi Religionem, quam ipse ea, quae debet, solverit.

Sed melius tenetur negativa, scilicet 79 non obligari ejusmodi Sponsum Matrimonium prius contrahere, sed posse etiam, hoc non contracto, Religionem ingredi. Ita *Gloss. in c. commissum cit. V. tutius*, *Hofst. ibid. eod. V. Joan. Andr. n. 6. Anchar. n. 6. Abb.*

Abb. n. 4. Alex. de Nevo n. 9. § 10. Syl. V. Juramentum 3. q. 5. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. princ. n. 11. Carrer. l. 1. de Sponsal. c. 15. Sot. in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. §. dubium, Henric. l. 11. de Matr. c. 13. n. 3. § c. 14. n. 3. Sanch. D. 43. cit. n. 3. Tanner. tom. 4. D. 8. dub. 4. n. 48. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 4. Zocf. tit. de Sponsal. n. 26. § 29. Engl. §. 3. n. 7. Pirhing n. 51. Schambog. n. 68. König n. 64. Wiestner hic n. 36. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 36. Ratio est, quia Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjicitur c. quemadmodum 25. pr. de Jurejur. & l. fin. C. de non num. pecun. atqui Sponsalia talis naturæ sunt, ut infirmam sibi habeant conditionem, Nisi Religionem elegero. Igitur etiam Juramentum ipsdem adjectum sub hac conditione censetur emissum, & Religionis ingressus, non obstante Juramento, permissus.

Neque obstant Argumenta in contrarium allata. Ad 1. Ut Suar. l. 2. de Juram. c. 13. n. 5. Canif. in c. cit. n. 3. Gonzal. ibid. n. 2. fin. Wagnereck not. 2. Zocf. l. cit. n. 30. Pirhing n. 52. Schambog. n. 70. Wiestner n. 37. explicant, in casu c. cit. Sponsus nondum plenè, ac firmiter statuit ingredi Religionem, ut verbis, si postea elegerit, non obscure insinuat: unde cum tempus, nempe biennium, pro implendis Sponsalibus à contrahentibus designatum, ad finem pergeret, meritò rescipit Pontifex, tutius esse contrahere Matrimonium, ne lapsò destinato tempore, & non impleta obligatione Juramenti, perjurus fieret, qui juravit. Ad 2. Solutio patet ex probatione negativæ sententiæ; cum enim Juramentum Sponsalibus adjectum habeat insitam sibi conditionem, Nisi Religionem elegero, sicut Sponsalia, ita & Juramentum his additum non aliter obligat, nisi quando jurans voluerit manere in sæculo. Deinde frustraneum omnino esset contrahere hoc casu Matrimonium, imò præjudiciosum alteri parti, & ipsi juranti periculofum: præjudiciosum quidem alteri parti; quia hæc, si sciret Matrimonium secum contrahi animo statim ingrediendi Religionem, nollet contrahere, & sic contractu tali deciperetur; periculofum autem ipsi juranti, quia exponeret se periculo mutandi animum per consummationem. Ad 3. In Juramento solvendi usuras nulla latet tacita conditio, qualis inest Juramento Matrimonij, si Religio non eligatur. Ad 4. Id verum est, nisi Juramento insit tacita conditio, Nisi in melius commutavero. Ad 5. Solutioni aliorum debitorum nulla inest conditio tacita, ut inest debito præsentis casus.

Quæritur 9. An qui post jurata Sponsalia Religionis Voto se adstrinxit, possit licitè contrahere Matrimonium animo ante consummationem ejus ingrediendi Religionem? Affirmant Ant. de Butr. in c. ex

publico 7. de convers. conjug. n. 9. Henric. in c. commissum 12. de Sponsal. n. 8. Alex. de Nevo ibid. n. 9. § 10. Petr. de Ledefm. de Matr. q. 53. art. 1. dub. 1. post 2. concl. v. secunda pars. Fundantur 1. textu c. commissum cit. ubi Pontifex de jurante Sponsalia ait, tutius esse prius contrahere Matrimonium, fecit autem illi Votum Religionis, quia textus ait, quod privata Lege ductus, ad frugem melioris vitæ suspiraverit; Votum autem privata est, ergo &c. 2. Quia sic contrahens non agit contra Votum Religionis, utpote quod tantum obligat ad non ponendum obicem ingressui Religionis, qualem non ponit Matrimonium ratum, cum post hoc adhuc licitus ingressus sit, sed consummatum tantum. 3. Ita contrahens animo ingrediendi Religionem etiam non infert injuriam alteri conjugi, cum utatur jure suo, quod habet, ingrediendi Religionem ante Matrimonij consummationem, ut adeo non appareat, ex quo capite talis Matrimonij contractus, & animus post illud contractum ingrediendi Religionem illicitus sit.

Sed multò probabilius est non licere absque culpa mortali hoc casu contrahere Matrimonium. Ita Gloss. in c. commissum cit. V. tutius, Host. ibid. paulò post pr. Joan. Andr. n. 3. Ant. Cucech. l. 5. insit. major. tom. 12. n. 20. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 244. n. 5. Sanchez l. 1. de Matr. D. 43. n. 7. & alij ab hoc cit. 1. Quia ita contrahendo patentissimo periculo se exponit contrahens mutandi animum, & violandi Votum. 2. Hic contractus derogat dignitati Voti, utpote quod absolute est impedimentum impediens Matrimonium. 3. Rectæ rationi repugnat, ut quis potestatem corporis sui det alteri, atque ad id se obliget, quod implere minimè intendit. 4. Eo animo contrahens notabilem injuriam infert puellæ, quam cogit absque nuptijs esse, donec ipse aut profiteatur, aut ex Novitiatu egrediatur.

Excipit tamen Sanch. l. cit. n. 8. tres casus, quibus licitum erit habenti Votum Religionis, aut Castitatis contrahere Matrimonium animo firmo ante illius consummationem ingrediendi Religionem. 1. Quando esset notabilis metus, licet non cadens in constantem virum, amittendæ famæ, aut vitæ propriæ nisi contraheret. 2. si Voto adstrictus alio modo non potest ingredi Religionem; quia inclusus retinetur. 3. Si ita necessarium sit ad vitandum magnum scandalum, vel Sponsæ defloratæ præjudicium: de quo plura n. 85.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. Ad 1. In casu c. cit. non fuit emissum Religionis Votum; dicit enim Pontifex, Postea si elegerit, quod clarè indicat nondum adfuisse animum firmum ingrediendi. Neque obstant verba Lege privata ductus; nam ut Host. ibid. notat, id intelligendum de Lege amoris, & Charitatis

ratis DEI, vel de Lege, quæ instinctu Spiritus S. imprimatur cordibus. *Ad 2.* patet ex n. 82. eatenus contra Votum peccari, quatenus ita contrahens se exponit presenti periculo illud violandi, & præceptum Ecclesiæ transgreditur, quo voluit Votum Religionis esse impedimentum impediens. *Ad 3.* Injuria conjugis in hoc consistit, quod ei se obliget ad aliquid, quod neque vult, neque licite potest implere.

85 *Quæritur 10.* An si quis non solum Sponsalia cum Virgine contraxit, sed etiam sub spe Matrimonij eam corrupit, ante contractum Matrimonium Religionem ingredi possit? *R.* Non posse, sed teneri prius Matrimonium contrahere, quo contracto, & non consummato dein poterit propositum Religionis exequi. Ita Henricus, l. 11. de Matr. c. 13. n. 3. in Comment. Lit. K. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 245. n. 111. Sanch. l. 1. de Matr. D. 44. n. 3. § 4. Tann. tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 4. n. 50. Palao tr. 28. D. 1. p. 18. n. 9. Perez D. 9. sect. 4. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 4. §. limita. Wex Ariada. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 18. Zoes. tit. de Spons. n. 31. Pirhing ibid. n. 51. § 54. Schambog. n. 75. Könign. 64. Wietner hic n. 38. Idem dicendum, si copulâ non secutâ, norabi-

lem tamen famæ jacturam culpâ promittentis patiatur foemina, ut idem notant.

Ratio est, quia licet volenti ingredi Religionem non obstant Sponsalia etiam jurata, ei tamen obstat gravis injuria, & damnum, quod Sponsa ex defloratione, & infamia patitur; cum igitur moraliter loquendo non possit injuriam violatæ Virginitatis, aut famæ refarcire aliter, quam eam ducendo, ex æquitate naturali prius eam ducere debet, quam DEO se consecrandi propositum Religionis ingressu adimplere.

Imò si ita contrahendo, & postmodum Religionem ingrediendo non refarcitur infamia, ut Sanch. l. cit. n. 7. advertit, non satisfaceret promissor obligationi suæ sic contrahendo, sed deberet etiam persistere in Matrimonio; quia ad impediendam infamiam talem, cui causam culpâ suâ promissor dedit, iste obligatur ex Justitia, cum econtra ingressus Religionis illi, præsertim si ad hoc nullo adstrictus sit Voto, sit tantum voluntarius. Putat autem Sanch. l. cit. rarissimè contingere, ut Matrimonium sic contracto refarciatur fama, cum potius tam properato ab ea discessu, gravioris suspitionis notâ afficiatur.

§. III.

De Voto simplici Continentiæ, suscipiendi Sacrum Ordinem, ingrediendi Religionem, non nubendi &c.

S U M M A R I U M.

88. *Sc.* Votum simplex continentie Matrimonium contrahendum non dirimit, sed solum impedit.
91. Excipiuntur Vota simplicia Societatis JESU.
92. 93. Imò ejusmodi Votum simplex, extra Religionem editum, etiam non dirimit Sponsalia ante contracta.
94. Saltem ex parte voventis.
95. Solvuntur Objectiones.
96. *Sc.* An Voti obligatio maneat in eo, qui post Votum simplex Continentiæ editum Virginem, aut honestam Viduam corrupit?
100. 101. Præsertim si damnum huic nullum secutum ex eo sit, vel quod secutum est, aliter reparari potest.
102. 103. 104. An Votum ingrediendi Religionem solvat sponsalia ante contracta?
105. Quam vim circa sponsalium dissolutionem habeat Votum suscipiendi SS. Ordines? Ratio dubitandi.

106. Resolvitur, per illud non solvi Sponsalia ante contracta.
107. Et si vovens SS. Ordines susceperit, teneri sponse ad compensationem damni.
108. Respondetur ad Rationem dubitandi oppositam.
109. 110. 111. Et hoc ita verum est, ut sic vovens etiam non teneatur ingredi Religionem, ut ita Votum implere possit.
112. An Sponsalia ante contracta solvat Votum non nubendi?
113. An qui post Votum non nubendi, vel suscipiendi SS. Ordines contraxit Matrimonium, teneatur abstinere à petitione debiti?
114. Resolvitur pro negativa.
115. Ratio dubitandi diluitur.
116. An similiter obligatio Voti cesset in eo, qui post Votum Continentiæ, aut Religionis Matrimonium contraxit?
117. *Sc.* Quæ obligatio in sic vovente post contractum Matrimonium maneat?

88 *Quæritur 1.* de Voto Simplici Continentiæ. *Et 1.* quidem dubitatur, utrum Votum Continentiæ simplex dirimat Matrimonium? *R.* Exceptis Votis simplicibus Societatis JESU, Vota alia Matri-

monium contrahendum non dirimunt, sed solum impediunt, ita, ut post illa Matrimonium sit quidem illicitum, non verò invalidum, Guier. c. 94. de Matr. n. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 5. Pal. tr. 28. D. 4. p. 6. n.

6. n. 1. Canif. ad Rubr. b. tit. n. 6. Vivian. in c. 3. eod. v. *Votum simplex*, Barbof. *ibid.* n. 1. Wagnereck *ibid.* in Exeges. Gonzal. in c. fin. n. 7. & seqq. Engl. *hic* n. 2. Schambog. n. 20. König n. 16. y. porro, & statuitur c. *consultat* 4. & c. *rursus* 6. b. tit.

89 Quod *Votum Continentiæ simplex* sit *Impedimentum impediens Matrimonium contrahendum*, patet ex eo, quia omnis promissio DEO facta, & ab ipso acceptata inducit obligationem exequendi opere, quod est promissum; promissum autem est, quod voventis velit servare corpus suum integrum ab omni actu venereo, etiam eo, qui, secluso Voto, licitus esset; ergo debet illud servare: & conf. cum Matrimonium inducat obligationem huic obligationi contrariam, non potest licite inire Matrimonium, qui *Votum* ejusmodi DEO fecit.

90 Quod verò *Matrimonium contrahendum non dirimat*, ex eo ostenditur: quia *Votum continentiae* vim dirimendi *Matrimonium* ex natura sua non habet, nisi ei accedat *Ecclesiæ Constitutio*, quæ voventem ad *Matrimonium* ineundum inhabilem reddit ex clara decisione c. un. y. nos attendentes de *Vot. in 6.* atqui nusquam extat *Constitutio* aliqua *Ecclesiastica*, quæ is, qui *Votum Continentiæ simplex* extra *Religionem* emisit, ad conjugium ineundum reddatur inhabilis; ergo &c.

91 Dixi *Exceptis Votis simplicibus Societatis JESU*; nam hæc, ut *supra* n. 61. dictum est, *Matrimonium* contrahendum non minus dirimunt, ac *Professio solennis*, ex *Constitutione Gregorij XIII.* incipit, *Ascendente*: cujus novæ *Constitutionis* causa fuit, quia in his *Votis simplicibus* omnino cessant rationes, ob quas *Votum Castitatis simplex* non irritat *Matrimonium* in *Sæcularibus*: quod facile ostendi potest; namide *Votum simplex Castitatis*, extra *Religionem* emisum, non dirimit *Matrimonium*, quia ejusmodi *Vota* sæpe sine sufficienti deliberatione concipiuntur, nec per ea mutatur *Status*, aut fit *traditio sui corporis*, sed solum promissio *traditionis* ejusdem ad *serviendum DEO* in integritate corporis; atqui *Vota simplicia Societatis I.* emittuntur cum magna deliberatione, nempe post biennium probationis. 2. Per illa verè mutatur *Status* *sæcularis* in *Regularem*, ac propterea in eum, qui *Vota* ejusmodi emisit, si *Societatem* deferat, procedi potest, tanquam adversus verum *Apostatam*, prout deciditur *Conf. Ascendente cit.* 3. Per eadem *Vota* fit plena *traditio sui*, quippe cum his *Votis* adstrictus non secus, ac *Professus solenniter*, velle, & nolle proprium non amplius habeat, quamvis *traditio ista* non acceptetur ab *Ordine*, ut *Professio*, ergo &c.

92 Dub. 2. Utrum *Voto continentiae simplici*, extra *Religionem* emisso, impediat *Matrimonium*, & dirimantur *Sponsalia*. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

salia ante contracta? Affirmant Ant. de Butrio in c. *veniens* 13. de *Sponsal.* n. 9. Angel. V. *sponsalia* n. 40. Paludan. in 4. *dist.* 32. q. 3. art. 3. *concl.* 36. Sot. *ibid.* *dist.* 27. q. 2. art. 5. y. *utrum*, Carrer. l. 1. de *Sponsal.* c. 16. Suar. l. 2. de *Vot.* c. 4. n. 13. Henricq. l. 11. c. 14. n. 4. Rodrig. tom. 1. *Summ.* edit. 2. c. 45. n. 2. Petr. de Ledesm. de *Matr.* q. 43. art. 3. *dub.* 3. Tanner. tom. 4. D. 3. q. 1. *dub.* 4. n. 54. Pont. l. 6. de *Matr.* c. 12. n. 4. Wagnereck in c. *veniens* cit. not. 1. y. *mibi omnibus*. *Moventur* 1. quia c. *veritas* cit. *Votum Continentiæ*, *Sponsalibus* superveniens, pro *valido* habetur, cum *fœminæ*, quæ illud emiserat, nubendi *licentia* concedatur *dispensativè*. 2. Quia *vinculum Voti* fortius est eo, quod oritur ex *Sponsalibus* de futuro, quippe cum per *Sponsalia* homo duntaxat homini, per *Votum* autem homo obligetur DEO. 3. Quia *Sponsalibus* inest *tacita conditio*, *Nisi Statum perfectiorem*, *conf. Celibatam*, *elegero*. 4. Quia *Votum Continentiæ* est de *meliori bono* incompatibili cum *Matrimonio*; promissum autem non infringit, qui in *melius* illud commutat c. *pervenit* 3. de *Jurejur.* 5. Si *Votum Continentiæ* emissum post jam contracta *Sponsalia*, hæc non dirimeret, & *Matrimonium* contrahendum non impediret, non peccaret contra *Votum*, qui post *Votum* sic emissum contraheret *Matrimonium*, quippe cum *stante Voto*, adhuc maneret obligatio ad nubendum.

Sed his non obstantibus, probabilius est, per ejusmodi *Votum Continentiæ*, post *Sponsalia* jam contracta emissum, nec *Matrimonium* impediri, nec *Sponsalia*, saltem ex parte voventis, dirimi. Ita *Gloss.* in c. *veniens* cit. V. de *severitate*. Abb. *ibid.* n. 5. Alex. de Nevo n. 6. Host. in c. *rursus* 6. b. tit. paulò post pr. Ant. de Butrio *ibid.* n. 5. sibi in hoc contrarius, Ancharan. n. 1. Sylv. V. *Matrimonium* 7. q. 5. *dist.* 5. & V. *Sponsalia* q. 7. Navar. *Man.* c. 22. n. 27. Brunell. de *Sponsal.* *concl.* 2. n. 2. & *concl.* 31. n. 3. Philiar. de *Offic. Sacerd.* tom. 1. p. 2. l. 2. c. 1. *Vegal.* 6. *Summ.* cas. 41. *punct.* 4. *opin.* 5. Sanch. l. 1. de *Matr.* D. 46. n. 9. Conink D. 23. *dub.* 3. n. 21. & 25. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 6. Zoel. *hic* n. 10. Pirhing n. 30. Schambog. n. 14. Wiefner n. 62. & apud hos alij. Colligitur 1. ex c. *veniens* cit. ubi *mulieri*, quæ post *Sponsalia* *Votum Continentiæ simplex* edidit, & sic causa fuit, ut *Sponsus* ad alias transiret nuptias, *pœnitentia* imponitur tum propter *fidem Desponsationis* violatam, & quia per ipsam stetit, ne *promissum Matrimonium* contraheretur, tum propter *Votum*, à quo cupiebat liberari, ut alteri possit nubere; atqui non fuisset ipsi imposita *pœnitentia* ob *fidem Desponsationis* violatam, si *Votum*, post *Sponsalia* editum, dirimeret *Sponsalia*, & impediret *Matrimonium* contrahendum, ergo &c. 2.

Gg

Quia

Quia DEUS non acceptat Votum, seu promissionem rei, prius alteri promissæ, in promissarij præjudicium; alijs qui mille aureos promisit homini, liberare se obligatione hujus suæ promissionis posset, si illos Voto promitteret DEO; sed per ejusmodi Votum Continentiæ, editum post Sponsalia jam contracta, fit præjudicium alteri, nempe illi, cum quo Sponsalia sunt contracta. 3. Quia nullo Jure probatur inesse Sponsalibus hæc tacitam conditionem, *Nisi statum continentie elegero*, si iste eligatur extra Religionem à Sede Apostolica approbatam.

94 Dixi, *saltem ex parte voventis*; nam certum est, quando unus ex Sponsis Castitatem vovit, alterum à Sponsalibus servandis liberum esse; quia voventis censetur eo ipso Sponsalibus renuntiâsse. Accedit, quod res sint notabiliter mutata; cum enim voventis ratione hujus sui Voti impediatur à petendo debito conjugali, grave onus foret impositum alteri, si semper cogere pterere, maximè si esset foemina. Palud. in 3. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 5. n. 23. Sylv. V. Sponsalia q. 7. Henriq. l. 11. de Matr. c. 14. n. 4. Vega l. cit. opin. 5. Sanch. D. 46. cit. n. 5. Puring hic n. 28.

95 Argumenta in contrarium opposita facile solvi possunt. Ad 1. Votum illud validum fuit in præjudicium voventis tantum; quia licet per illud non impediatur contrahere Matrimonium, servare tamen in Matrimonio illud debet, ut potest, & hinc petere debitum conjugale nequit: non autem validum est in præjudicium alterius Sponsi, quod solum probant rationes nostræ. Et hinc post contractum Matrimonium exigenti debitum illud tenetur reddere, sicut qui post Matrimonium jam contractum ad continentiam se obligavit Voto c. placuit 12. de convers. conjug. Ad 2. Negatur, quod ejusmodi Votum sit vinculum in præjudicium alterius Sponsi; nam eatenus est invalidum; ergo etiam non potest esse vinculum fortius Sponsalibus, & sic illa dissolvere. Ad 3. Conditio illa Sponsalibus neque inest ex natura rei; aliàs in quavis promissione homini facta v. g. 1000 aureorum includeretur conditio, *Nisi illos DEO donare voluero*, quod nemo facile asseret: neque etiam inest illis ex dispositione Juris positivi, cum tale nuspium extet. Ad 4. in textu c. pervenit cit. sermo est de Voto, quod fit DEO, non verò de promissione homini facta: si DEO facta sit promissio, in melius, DEOque gratius opus commutare promissionem licet; quia DEUS rem meliorem, sibi que gratiorem pro re sibi promissa, & minus tibi grata acceptare censetur: si verò promissio facta sit homini, illam non licet propria autoritate in melius commutare cum præjudicio alterius, ne hic jure sibi jam quæsitio spoliatur absque sua culpa. Ad 5. Concedo, talem, qui post Sponsalia à se

contracta Votum continentie edidit, non peccare contra Votum, si Matrimonium contrahat cum sua Sponsa, cum qua contraxit Sponsalia; quia, ut dictum est, Votum hoc, quatenus cedit in præjudicium alterius Sponsi, invalidum est; non præstat autem impedimentum, quod de Jure non foritur effectum, ergo &c.

Dub. 3. An Voti obligatio maneat in eo, qui post Votum simplex Continentie editum Virginem defloravit, aut honestam Viduam corrupit? R. Cum distinctione: vel enim ista deflorationem, vel corruptionem sui passa est, vi sibi illata, vel spontè, ac liberè in eam consensit. Si primum, obligator stuprator ad reparandum damnum concuprata à se illatum, & cons. si aliter istud reparare nequeat, nisi illam ducat, tenetur eam ducere, non obstante Voto contrario; quia tunc Voti, & Religionis obligationi prævalet obligatio Justitiæ, adstringentis ad reparationem damni, ex hujusmodi violatione consecuti: neque enim DEUS acceptat promissionem sibi factam, nisi quatenus ea impleri sine gravi alterius damno potest. Pont. l. 6. c. 12. n. 9. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 1. n. 17. fin. Wiestner hic n. 2. ubi rectè monet, antequam cum corrupta Matrimonium ineatur, petendam esse dispensationem in Voto, quam Papa facile concedet hoc casu: imò in urgentis necessitatis casu concedere potest Episcopus, ut si probabile periculum sit incontinentie, præsertim si interveniat moralis impotentia, aut grave impedimentum adevendi Pontificem, adeoque periculum sit in mora. Neque obeß, quod aliàs Votum continentie sit reservatum Summo Pontifici; nam tali casu præsumitur Pontifex ob bonum publicum, & animarum facultatem in hoc Voto dispensandi concessisse Episcopo.

Si secundum, & deflorata, vel corrupta in sui deflorationem, vel corruptionem consensit spontè, & liberè, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an deflorans spem, vel promissionem Matrimonij eidem fecerit, an verò illa consenserit, nullà hujusmodi spe, vel promissione sibi facta. Si hoc posterius, Voti obligatio manet integra, & impedit Matrimonium cum ea contrahendum; quia consentienti in sui corruptionem nulla illata est injuria, vel læsio, quæ Matrimonij contractu reparari debeat arg. Reg. nemo 45. ff. & Reg. scienti 26. in 6. Vasq. de restit. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 21. Pont. l. cit. n. 6. Palao n. 15. Wiestner n. 68.

Si prius, & deflorata sit facta spes, vel promissio Matrimonij, applicari tertia distinctio debet, an videlicet deflorata Votiantea editi fuerit conscia, vel contra, ignara istius. Si conscia Voti fuit, iterum obligatio Voti integra manet, neque tenetur deflorans contrahere Matrimonium; quia cum

quam sciverit eum, cui se prostituit, teneri obligatione Voti, ac proinde promissionem sibi factam nullam esse, censebitur usum corporis sui gratis illi concessisse. Sanch. l. cit. n. 5. Palao n. 17. Wiestner n. 69.

99 si verò Voti antea à deflorante editi ignara fuit, quartâ opus distinctione est. Vel enim damnum aliquod grave consecutum inde est defloratâ, vel nullum passa est damnum grave. Si grave consecutum est damnum, attendendum est, an damnum illud alter, quam per Matrimonium rescirari possit, vel non. Si aliter rescirari possit, v. g. constituta, vel aucta dote, iterum non præstatur impedimentum executioni Voti; quia siquid obstaret hoc casu executioni Voti, obstaret damnum corruptæ illatum, & obligatio id reparandi. Atqui hæc non obstat; quia ponitur, quod alio modo reparatio plena fieri possit. Less. l. 2. de J. & J. c. 10. n. 10. Sanch. l. 7. de Matr. D. 14. n. 12. Palao n. 16. Wiestner n. 70. Quod si verò aliter rescirari hoc damnum nequeat, ex communi sententia, & ratione n. 96. allata cessabit obligatio Voti quoad effectum impediendi Matrimonium, & tenebitur deflorans corruptam ducere. Sanch. D. 45. cit. n. 3. Vasq. dub. 6. n. 20. Pont. n. 10. Palao n. 7. Wiestner n. 71.

100 Si nullum grave damnum ex defloratione consecutum sit defloratæ, controversia est inter DD. Sanch. D. 45. cit. n. 3. Bonacin. de Sponsal. q. 1. p. 5. n. 7. Tanner. tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 4. n. 51. putant defloratorem, si nuptias defloratæ promissit, non obstante voto, teneri eandem ducere. 1. Quia Votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut tradunt omnes Tract. de Vot. hic autem notabilissima est mutatio, cum vinculum Justitiæ fortissimum supervenerit. 2. Vinculum Justitiæ fortius est vinculo Charitatis. Sed propter vinculum Charitatis superveniens cogitur quis suspendere Votum præcedens Religionis, v. g. ut succurrat parentibus indigentibus; ergo à fortiori propter vinculum Justitiæ, quali in præsentia deflorator erga defloratam adstringitur. 3. Ære alieno gravatus non potest ingredi Religionem, quam antea voverat, si ipse sit satisfaciendi creditoribus; ergo nec in nostro casu ob vinculum Justitiæ Sponsalium Sponsus impeditur ab executione suæ promissionis per Votum Continentiæ à se antea editum.

101 Sed communis, & in praxi recepta sententia est, casu, quo vel nullum damnum defloratæ est consecutum, vel quod secutum est, aliter reparari potest, defloratorem Voto continentiæ antea emissio adstrictum, ex vi solius promissionis non obligari ad eam ducendam. Ita Navar. b. tit. conf. 1. edit. 2. Rodriq. tom. 1. summ. c. 202. concl. 11. Dicastill. tr. 10. de Matr. D. 1. dub. 32. n. 446. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 5. Pirh. tit. de R. P. Schmalzgrueber l. IV.

Sponsal. n. 54. Ratio est, quia cum talis promissio sit facta de re, jam ante per Votum Continentiæ obligata DEO, non minus invalida est, ac invalida sunt secunda Sponsalia inita in præjudicium prioris Sponsæ: unde sicut iste, qui secunda Sponsalia, primis non dissolutis, contraxit, adhuc debet implere prima, ita etiam qui post Votum Continentiæ editum Virginem, aut Viduam honestam corrupit, debet implere Votum, nisi cum ipso in hoc dispensetur ad Matrimonium contrahendum cum deflorata. Ex quo patet ad Argumenta opposita.

Quæritur 2. De Voto ingrediendi Religionem, & suscipiendi SS. Ordines? Et 1. quidem dubitatur, an Votum ingrediendi Religionem solvat Sponsalia ante contracta? 2. De hoc loquendum, sicut de ingressu Religionis. Igitur 1. dicendum, quod ejusmodi Votum sit licitum, & obligatorium: quia est de meliori bono, & nulli præjudicium creat; cum enim non obstantibus Sponsalibus prius initis, possit ingredi Religionem, etiam licite potest eam, rescissis Sponsalibus, vovere, vel addito Juramento promittere Navar. Man. c. 22. n. 27. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 4. Engl. tit. de Sponsal. §. 3. n. 8. dub. 3.

2. Post ejusmodi Votum ingressurus Religionem, non tenetur prius eam, cum qua Sponsalia prius habuit, ducere; quia frustra contraheret Matrimonium animo statim ingrediendi Religionem. Excipitur, nisi Sponsa aliàs gravem infamiam incurreret, quippe quæ spe Matrimonij cognita, & forte gravida facta fuit; tum enim ut Sponsæ infamiam impediatur, & proles, ex ea nata, legitima fiat, prius contrahere Matrimonium oporteret, antequam Voto suo satisfaciat. Navar. de Vot. conf. 3. Engl. dub. 3. cit.

3. Pars manens in sæculo eo casu libera est à Sponsalibus, etiam ante alterius in Religionem ingressum; quia per ejusmodi Votum Religionis ipse vovens censetur renuntiâsse Sponsalibus, & remisisse obligationem eorum alteri. At in vovente obligatio Sponsalium tantum suspenditur, donec secuta Professione, omnino tollatur. Quod si ista non sequatur, sed Novitius egredietur à Religione, tenebitur satisfacere Sponsalium obligationi, & Sponsam suam ducere, nisi etiam ipsa obligationem remiserit, aut interea cum alio Sponsalia de futuro, vel de præsentia contraxerit. Wex Ariadna p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 19.

Dub. 2. An etiam Votum suscipiendi SS. Ordines Sponsalia antè contracta dirimat, ita, ut Sponsus, non obstantibus Sponsalibus prius contractis, ad SS. Ordines promoveri possit? Affirmant Henriq. l. 11. c. 14. n. 4. Azor p. 1. l. 11. c. 21. q. 10. Pont. l. 16. de Matr. c. 11. n. 3. Tanner. tom. 4. D. 8. n. 52. Fundantur; quia cum Status Ecclesiasticus dignior sit, & sanctior Statu

Matrimoniali, adeoque de meliori bono, non videtur is impediri debere per obligationem Sponsalium; quippe quæ minoris momenti est, & minus fortis. *Confirmari potest à paritate cum Voto ingrediendi Religionem, quo dirimuntur Sponsalia ante contracta, ut dictum est n. præc.*

106 Sed probabilius est per Votum suscipiendi SS. Ordines Sponsalia prius contracta, ex parte voventis saltem, non dirimi, sed ab his præstari impedimentum, ne ijs adstrictus, licet SS. Ordinem susceptionem voverit, promoveri ad illos licite possit. Ita Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 5. n. 21. y. quarto. Majol. l. 1. de Irregul. c. 34. n. 6. Sanch. l. 1. de Matr. D. 47. n. 3. Coninck D. 23. dub. 3. n. 25. Palao tr. 28. D. 1. p. 20. n. 3. Perez D. 9. sect. 6. n. 1. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 22. Zoel. hic n. 10. fin. Wiestner ibid. n. 66. Engl. tit. de Sponsal. §. 3. n. 8. Pirh. ibid. n. 55. Schambog. n. 82. König n. 66. & pater ex praxi Ordinariorum, à quibus Sponsalium oppositiones admitti solent, quando ad Sacrum Ordinem, aut Clericatum aspirantibus obijciuntur. *Ratio est, quia qui Ordines SS. suscipit post contracta cum aliqua Sponsalia, facit illi gravem injuriam, ac proinde non potest illos suscipere sine ejusdem consensu.*

107 Quodsi aliquis defacto post Sponsalia, non impetrato consensu Sponsæ suscepisset Ordines Sacros, is quidem Matrimonium amplius contrahere nec deberet, nec posset, cum Ordo Sacer sit impedimentum dirimens Matrimonij; interim tamen sic ordinatus ex æquitatis ratione refarcire deberet damna, & expensas, quas Sponsa intuitu nuptiarum fecit arg. l. si pecuniam s. ff. de condit. caus. dat. quod ipsum Engl. tit. de Sponsal. §. 3. n. 8. König ibid. n. 66. & alij extendunt etiam ad eum, qui post Sponsalia ingreditur Religionem, ne privilegium ingrediendi Religionem in nimis magnum alterius præjudicium extendatur.

108 *Neque obstat Argumentum oppositæ sententiæ; quia Votum quod in præjudicium tertij cedit, non acceptat DEUS, etsi materia illius sit de meliori bono; cons. ejusmodi Votum, quatenus in præjudicium Sponsæ cedit, invalidum, & nullum est. Ad Conf. Negatur paritas; nam, ut supra; n. 102. vidimus, vis dirimendi Sponsalia prius contracta Voto ingrediendi Religionem reperitur in Jure concessa, non autem reperitur concessa Voto suscipiendi SS. Ordines.*

109 Dub. 3. An is, qui post Sponsalia jam contracta edidit Votum suscipiendi SS. Ordines, teneatur Religionem ingredi, & profiteri, ac tum implere Votum, quod fecit de Ordinibus Sacris suscipiendis? *Ratio dubitandi est, quia si Religionem ingrediatur, & Professionem edat, potest Votum suum servare sine præjudicio Sponsæ; igitur tenebitur ingredi, & profiteri;*

nam Votum suum vovens servare debet eo modo, quo potest.

Sed etsi talis Religionem ingredi possit, si velit, probabilius tamen, nisi simul etiam Religionis ingressum voverit, non teneatur, eandem ingredi, sed potest Sponsalia implere, & perficere Matrimonium contrahendo; quia Sponsalia per tale Votum dissoluta non sunt, sed adhuc obligandi vim retinent. Idem dicendum de Voto continentie simplici, de Voto non nubendi &c. emisso post contracta Sponsalia. Sanch. l. 1. de Matr. D. 46. n. 13.

Excipitur, si Sponsa datam fidem remittat, vel ex justa causa Sponsalia dissolvantur; nam hoc si fiat, is, qui vovit Continentiam, servare Castitatem debet; qui vovit non nubere, nubere non potest etiam Sponsæ suæ; qui vovit SS. Ordines, tenebitur illos suscipere. Ratio obvia est, quia Vota ejusmodi eatenus solum invalida erant, quatenus cedebant in præjudicium alterius partis; sic autem in præjudicium hujus non cedunt, ergo &c.

Ad Rationem dubitandi dico, voventem non posse obligari ad implendum Votum medio tam difficili, quale est Professio Religiosa.

Queritur 3. De Voto non nubendi, 112

Et 1. quidem dubitatur, an hoc Votum solvat Sponsalia ante contracta, & Matrimonium contrahendum impediat? Negativè, ob paritatem cum Voto Continentie simplici, & suscipiendi SS. Ordines, superveniente Sponsalibus ritè contractis. Ratio ulterior est, quia qui Sponsalia contraxit, simul etiam contraxit obligationem nubendi, quam solvere sibi ipse Voto non nubendi, altera parte invita, nequit. Aliud dicendum, si hujusmodi Vota emissa fuissent ante Sponsalia; hoc enim casu non solum Votum continentie, & Religionis, sed etiam Votum non nubendi, & suscipiendi SS. Ordines impedirent Sponsalia contrahenda, & Matrimonium promissum, quippe quæ post ejusmodi Vota illicita sunt.

Dub. 2. An qui post Votum non nubendi, vel suscipiendi SS. Ordines contraxit Matrimonium, teneatur abstinere à petitione debiti? Affirmant Paludanus, Gabriel, Palacios, Cajetanus, Navarrus apud Sanch. l. 9. D. 33. n. 21. ex ratione, quia vovens abstinere à Matrimonio ineundo censetur consequenter vovere abstinere ab illius usu, qui consequitur Matrimonium. *Conf. Quia ut Regula Logica habet, negatio ejus naturæ est, ut quidquid post se invenit, destruat: cons. licet is, qui promissit Matrimonium, non subinde actum promittat, quia illud esse sine actu potest, negans tamen Matrimonium hoc ipso negabit actum, utpote qui extra Matrimonium esse nequit; tenebitur ergo vi Voti abstinere ab usu illius, quantum potest, nempe à petitione debiti.*

Sed

174 Sed longè probabilius est licere hoc casu voventi, ubi semel Matrimonium consummavit, debitum non tantum reddere, sed etiam petere, ut notant D. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 2. §. 1. Barth. à Ledesm. dub. 32. de Matr. fin. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 35. art. 1. fol. 360. Lud. Lop. p. 2. Instr. de Matr. c. 46. circa 2. imped. Votum simpl. Sà summ. V. debitum conjugale, & contrahens Matrimonium, Vega tom. 2. Summ. c. 129. cas. 76. Sanch. D. 33. cit. n. 22. Imò his duobus Votis adstrictus post Matrimonium contractum probabilius ne quidem à consummatione ejusdem abstinere debet, sed potest illud licitè etiam petendo consummare, ut docet Sanch. l. 9. cit. D. 34. n. 7. Ratio est, quia objectum Votorum istorum primum est non inire Matrimonium, vel suscipere Sacrum Ordinem, Matrimonium excludentem; atqui hoc per ipsum Matrimonij contractum impossibile redditur, igitur cum accessorium sequatur principale, etiam obligatio ad Continentiam, Votis istis secundario, & consequenter connexa, cessabit.

175 Ex quo cadit Argumentum contrarium cum sua Confirmatione; dicendum enim, quòd vovens non nubere, vel suscipere Sacrum Ordinem ad abstinendam ab actu conjugali non aliter se obliget, quam quatenus, & quamdiu subsistit objectum Voti primum. Quare his Votis adstrictus, si Sponsalia non præcesserunt, peccabit quidem Matrimonium contrahendo, non tamen consummando.

176 Dub. 3. An similiter obligatio Voti cesset in eo, qui post Votum Continentiæ, aut Religionis Matrimonium contraxit? Negativè, cum discrimine tamen; nam is, qui post Votum Continentiæ Simplex illicitè contraxit Matrimonium, ex vi Voti sui abstinere à petitione debiti tenetur, ita ut contra Votum suum peccet non tantum, si prima vice Matrimonium petendo debitum consummet, sed toties, quoties deinde illud ab uxore exigit, quamvis reddere petendum possit. Ita S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 4. Scot. ibid. q. un. ad fin. & consimiliter. Palud. q. 3. art. 5. concl. 4. n. 36. Henriq. l. 11. de Matr. c. 15. n. 8. Gl. 12. c. 2. n. 3. §. 9. Sa V. debitum conjugale, & contrahens Matrimonium, Sanch. l. 9. de Matr. D. 33. n. 5. Engl. hic S. 1. n. 2. §. licet, Reiffenstuel n. 25. Wiestner n. 56. & hoc teste plurimi, præcipueque nominis TT. & Jcti arg. c. quidam 3. de convers. conjug. ex cujus decisione, invira uxore, Religionem Professus, licet Professio invalida sit, exigere tamen debitum conjugale non potest, quòd Professio illa valeat saltem in vim Voti Simplicis Continentiæ. Accedit, quia Matrimonium postea contractum ab obligatio-

ne Voti non liberat, nisi quatenus ei contravenire cogit jus alteri conjugati quæsitum per contractum postea cum ipso Matrimonium atqui huic quæsitum Jus non cogit ad petendum debitum, sed solum ad hoc, cum exigitur, reddendum, ergo &c.

Quia verò conjux, tali Voto adstrictus, in quotidiano transgressionis periculo constitutus est, idcirco hujusmodi voventi consulitur, ut vel ipse, vel alius ejus nomine dispensationem petat, quam ob incontinentiæ periculum, & difficultatem adeundi Pontificem concedere solet Episcopus, cum ea moderatione, ut supplicans, stante Matrimonio jam contracto, valeat reddere, & petere debitum conjugale, dissoluto autem Matrimonio per mortem alterius conjugis, Votum obliget, sicut prius. Engl. cit. n. 3.

Ex quo sequitur, quòd in hujusmodi vovente post contractum Matrimonium triplex Voti effectus maneat; nam 1. si conjux talis post Matrimonium fornicetur, præter adulterium, reus erit sacrilegæ violationis Voti. 2. Tenetur sub mortali abstinere à petitione debiti; nisi cum ipso ad hoc etiam dispensetur. 3. Altero conjuge defuncto, tenetur omnino Castitatem servare.

Minor obligatio est in eo, qui post emissum Votum ingrediendi Religionem, illicitè contraxit Matrimonium; nam iste peccat quidem, quando Matrimonium prima vice consummat, postquam verò illud consummavit, licitè debitum & reddere, & petere potest, ut rectè Navarr. Man. c. 12. n. 80. Henriq. l. 12. c. 2. n. 3. Sanch. l. 9. de Matr. D. 33. n. 14. §. 15. Engl. hic S. 1. n. 4. Wiestner ibid. n. 59. & alij ab his cit. Ratio est, quia tum materia Voti voventi reddita est impossibilis, conf. Voti obligatio omnino cessat, cum post consummatum Matrimonium, invira uxore, non amplius liceat Religionem ingredi.

Quod intelligendum est, Matrimonio stante; nam eo per mortem uxoris soluto, tenetur is, qui Religionem vovit, eandem ingredi, ut contra Abulensem melius docet Sot. in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. in fin. Corp. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 241. n. 3. Sanch. D. 33. cit. n. 16. & alij ab hoc cit. Ratio est, quia tum Voti impedimentum cessat, & vovens Votum suum implere potest, igitur tenebitur. Idem dicendum, quando stante Matrimonio, divortium innocens ex causa adulterij fecit; tunc enim iste ingredi Religionem potest, & sic tenebitur ingredi ex vi Voti, quod de ejus ingressu edidit. Sanch. l. cit. qui istud extendit ad quemcunque casum, quo in voventis potestate est ingredi Religionem.

S U M M A R I U M.

120. *Ecce* Matrimonium Fidelis cum Infideli est illicitum.
124. Jure Divino naturali.
125. Nisi urgentissima causa talem contractum suadeat.
126. An eodem Jure etiam sit invalidum?
127. Resolvitur esse invalidum tantum Jure Ecclesiastico.
128. Saltem non scripto.
129. Solvuntur Argumenta contraria.
130. An valeant sponsalia contracta inter Fidelem, & Catechumenum?
131. Respondetur valere Sponsalia de futuro.
132. Quid tenendum de valore Matrimonij initi inter Catholicum & Hæreticum?
133. Resolvitur tale Matrimonium esse validum.
134. Fundamenta Sententiæ.
135. Miluuntur Argumenta opposita.
136. Illicita tamen illa sunt regulariter.
137. Et quidem Jure naturali.
138. An licite contrahantur cessante scandalo, & periculo perversionis?
139. Defenditur affirmativa.
140. Satisfit Argumentis oppositis.
141. 142. Regulariter ad sic contrahendum opus est Dispensatione.
143. 144. Etiam in Personis Principibus.
145. 146. 147. Quando ea dispensatione sit opus?
148. 149. An etiam in Germania, & alijs Septentrionalibus Provincijs, ubi Hæretici Catholicis permixti degunt?
150. 151. An valeant patra, ut masculi sequantur Religionem Patris, femine Fidem Matris?

QUæritur 1. An Matrimonium fidelis cum infideli e. g. cum Pagano, Judæo, Sarraceno initum licitum sit? Videtur esse licitum; nam ita contraxit S. Cæcilia cum Valeriano, S. Monica mater S. Augustini cum Patritio, Clotildis cum Clodoveo Francorum Rege, Edelburga cum Eduino Rege Anglorum, adhuc pagani: quæ cum fuerint faminae Sanctæ, utique cum illis Matrimonium non contraxissent, si ita contrahere illicitum foret.

Verum hoc non obstante, dicendum, Christianis esse illicitum contrahere Matrimonium cum Paganis, & Infidelibus, qui Ecclesiam per Baptismi januam non fuerunt aliquando ingressi. Sumitur ex *can. cave 15. junct. Gloss. V. si Christiana, can. non oportet 16. & can. si quis judicarie 17. caus. 28. q. 1.* ubi fidelis, qui cum infideli Matrimonium defacto contraxit, jubetur à Christiano coetu, atque convivio, & à communionè Ecclesiæ protinus segregari: & pariter etiam ex Apostolo *2. Corinth. 6. v. 14.* ubi, *Nolite, inquit, jugum ducere, h. e. conjugium inire cum infidelibus*, ut textum istum interpretatur S. Hieron. *l. 1. adversus Jovinian. & 1. Corinth. 7. v. 39. Mulier, ait, si dormierit vir ejus, cui vult, nubat, tantum in Domino*: quæ postrema verba Hieron. *l. cit. & Tertull. l. 2. ad uxorem* intelligunt de conjugio fidelis cum infideli.

Proceditque hoc etiam casu, quo is, qui cum infideli contrahit, est Hæreticus, vel Apostata, ut bene advertit Henricus *l. 12. de Matr. c. 13. n. 4. fin.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 71. n. 4.* quia illi, tanquam verè baptizati subduntur Legibus Ecclesiæ Matrimonium hoc irritantibus. Et extendi hoc

etiam debet ad casum, quo infidelis Sponsa fictè est baptizata, ut contra Archidiaconum, in *can. non oportet cit. n. 4. & Bellamer, ibid. n. 3.* rectius monet idem Sanch. *n. 3.* cum enim illa revera sit infidelis, utpote quæ coram DEO verum Baptismum non suscepit, nequit validè fidei nubere.

Exempla in contrarium allata non obstant; quia, ut Pont. *l. 7. de Matr. c. 47. n. 7.* notat, credibile est, à Religiosissimis illis faminis hoc factum esse ex speciali revelatione Divina, aut dispensatione Episcoporum, permittentium, aut tolerantium ejusmodi conjugia: qualia suo tempore admodum frequentia fuisse testatur Hieron. *l. 1. contra Jovin. & Augustin. l. de fid. & oper. c. 6.*

QUæritur 2. Quo Jure illicita sint hujusmodi Matrimonia à fidei cum infideli contracta? **R.** Illicita sunt Jure Divino naturali, extra casum, quo urgens causa occurreret, propter quam recta ratio Matrimonium tunc ineundum diceret. Ita Sot. *in 4. dist. 39. q. un. art. 2. col. 4. §. apparet.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 59. art. 1. dub. 3.* Barth. à Ledesm. *dub. 54. de Matr. post concl. 4. Vega tom. 2. sum. c. 34. cas. 136.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 71. n. 5.* Sumitur 1. ex *Deut. c. 7.* ubi DEUS Hebræis interdixit Matrimonium cum Infidelibus: quod præceptum morale fuisse, & sic etiamnum obligare, manifestè ostendit ratio ejus præcepti ibidem subjuncta, *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Dijs alienis.* 2. Quia Jus Divinum naturale dicitur, peccandi periculum totis viribus cavendum esse, atqui præsentem valde periculum perversionis, & lap-

sus in infidelitatem imminet fideli ex tali conjugio, ut exemplo est Salomon, qui alienigenarum mulierum amoribus demeratus, à vera Fide ad Idolorum cultum delcivit 3. Reg. 11. v. 3. 3. Quia hujusmodi conjugium fini Matrimonij aliquo modo advertatur; cum enim finis ejusdem sit non sola generatio prolis, sed etiam legitima ejus educatio, prolésque apud utrumque parentem educari debeat, ubi parentes sunt disparis cultus, primum est, ut illa vel Religionem Christianam amore parentis infidelis nunquam suscipiat, vel si suscipit, eodem amore impellatur in Apostasiam à fide: ut taceam incommoda alia, quæ inde exsurgunt, qualia sunt, quòd per ejusmodi Matrimonium conjux fidelis abstrahatur à Christianæ Pietatis Officiis, & ipsa cohabitatio inter Religione dispares vix esse quieta, atque tranquilla possit, cum innumeris discordiis anam præbeat.

125 Addidi extra casum, quo urgens causa occurreret, propter quam recta ratio Matrimonium tunc inendum declaret; nam hac urgente, & si nullum foret, vel motum admodum perversionis periculum, accedente dispensatione Pontificia, ejusmodi Matrimonium licitè, & validè contraheretur; quia eo casu non esset Jure naturali prohibitum, cum ratio prohibitionis eo Jure introductæ cesset. Potest autem in isto impedimento hodie saltem dispensare solus Pontifex, & qui ab eo privilegium dispensationis habent, quale Paulus V, Episcopo Funaiensi in Japonia, & Superioribus Societatis JESU in Regno Sinenfi ad decennium dedit, ut habet ejus Bulla incipit *Ut animarum data 21. Jun. 1616.* Opus autem est causâ urgentissimâ, ut dispensatio hæc licitè dari possit, ob ingens periculum perversionis, & seductionis, cui subicitur fidelis cum infideli conjunctus. Vincent. de Jusf. de Dispens. Matr. l. 2. c. 15. n. 2.

126 Quæritur 3. Quo Jure hujusmodi conjugia irrita sint? Jure Divino irrita esse contendunt Catharin. l. 5. contra Cajet. c. de Matrim. Viguer. l. Instit. c. 16. §. 7. §. 9. imped. 10. & alij quidam apud Sanch. l. 7. de Matr. D. 71. n. 6. quod sumunt 1. ex textibus S. Scripturæ n. 121. & 124. allegatis. 2. Quia aliàs Ecclesia non posset irritare Matrimonium cum Infidelibus, ut pote qui ejusdem potestati non subjacent. 3. Quia nullus reperitur, textus Juris Ecclesiastici, sed omnes, qui afferuntur, & sumpti sunt ex SS. PP. vel ex Concilijs Provincialibus, qui Juris vim nequaquam obtinent. 4. Christus Matrimonium in Testamento novo voluit esse Sacramentum. atqui Sacramenti Infidelis Jure Divino est incapax. 5. Matrimonium ex sua natura obligat ad cohabitandum, & reddendum debitum. ad hoc autem obligari fidelis contrahens cum infi-

deli nequit; quia potius tenetur se ab illo separare. 1. Corinth. 7.

Sed communis cæterorum DD. quo-
rum integrum Catalogum recenset Sanch. l. cit. n. 7. sententia est, ea Matrimonia irrita esse solo Jure Ecclesiastico; si enim alio Jure forent irrita, talia essent vel Jure naturali, vel Divino: *Non autem sunt irrita solo Jure naturali;* quia aliqui fideles cum infidelibus Matrimonium celebrârunt, propter quod non reprehenduntur à Scriptura, ut Jacob cum Lia, & Rachele filiabus Laban, Joseph cum filia Putipharis, Moyfes cum Sephora filia Jethro Sacerdotis Madian, Esther cum Assuero Gentili, &c. *Non Jure positivo Divino,* per Christum explicato in Lege nova; quia à Christo Domino Matrimonij antea validi contractus non irritatus, aut immutatus, sed ad dignitatem tantum Sacramenti elevatus est. Superest ergo, quòd hujusmodi conjugia irrita sint solum Jure Ecclesiastico.

De Canone, quo Ecclesia irritaverit hæc conjugia, solliciti sunt DD. Aliqui asserunt pro hoc can. 67. & 69. Concil. Nicæn. ubi Christianus nubens infideli punitur, neque admittitur ad pœnitentiam, nisi reliquerit Infidelem; non posset autem jubere Ecclesia hanc relinquere, si Matrimonium esset validum. ergo &c. Quidquid sit de his, & alijs textibus, qui allegari solent, non opus habemus Jure scripto, cum ex continuo, & antiquissimo usu, ac praxi Ecclesiæ constet, Disparitatem Cultus impedimenti Matrimonium dirimentibus accenseri. Gutier. de Matrim. c. 104. n. 1. Sanch. D. 71. cit. n. 8. Palao tr. 28. D. 4. p. 11. n. 3. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 4. n. 20. Engl. l. 4. tit. 16. §. 2. n. 1. König hic n. 21. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matrim. c. 5. n. 69.

Neque obstant Argumenta n. 126. 129
proposita. Ad 1. Ea testimonia probant, id Matrimonium esse Jure Divino illicitum, non verò, quòd etiam irritum sit. Ad 2. Ecclesia potestatem habet irritandi Matrimonium fidelis cum infideli, ex quo sequitur eadem prohibitionem etiam irritari Matrimonium infidelis cum fideli, cum istud in unam partem claudicare nequeat. Ad 3. Sufficit praxis, & consuetudo Ecclesiæ; nam etiam hac induci Impedimenta Matrimoniorum possunt, ut dictum est *suprà Tit. 1. n. 372.* Ad 4. Tale Matrimonium Jure Divino irritum quidem esset in ratione Sacramenti, sed Jure Ecclesiastico tantum in ratione Contractus Civilis. Ad 5. Ex tali Matrimonio per se oritur obligatio cohabitandi, & reddendi debitum, & hæc obligatio actu urget, quando conjux Infidelis sine injuria Creatoris cohabitare fideli velit; se-cus, si non velit, suspenditur ab extrinseco, quod novum non est, sed fit etiam, quando conjux alter commisit adulterium.

Quæ-

130 **Quæritur 4.** An valeant Sponsalia inter Catechumenum nondum baptizatum, & Catholicam contracta? Certum est non valere Sponsalia de presenti, seu Matrimonium; quia Baptismus est janua Sacramentorum, S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 1. ad 5. S. Bonav. *ibid.* in *Exposit. lit. n. 1.* D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 6. pr. Henriq. l. 12. de Matr. c. 13. n. 3. Tolet. l. 7. Summ. c. 7. n. 1. Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 78. § 138. Gutier. c. 104. de Matr. n. 3. Sanch. D. 71. cit. n. 2. & sumitur ex can. cave 15. caus. 28. q. 1. *ibi*, Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis. ubi Gloss. V. si Christiana, explicat, i. e. Catechizata.

131 **Dubium est**, an inter eos valeant Sponsalia de futuro? Videtur, quod non valeant; quia inter ipsos, ut modo dictum est, etiam valere, aut stare non potest Matrimonium, ergo nec poterunt illud promittere arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.

Sed tenenda est affirmativa Sententia cum Sanch. l. 5. de Matr. D. 8. n. 10. König hic n. 26. &c. Ratio est 1. Quia promissio Matrimonij hoc casu refertur ad tempus, pro quo Matrimonium inter promittentes potest consistere, nempe post susceptum Baptismum igitur. quantum est ex se, & ex objecto suo non est de re impossibili per l. Gallus 29. ff. de Liber. & posthum. 2. Quia valent Sponsalia, contracta inter fidelem, & infidelem, Si iste Baptismum suscepit arg. can. non oportet 16. caus. 28. q. 1. ergo etiam valent inita inter Baptizatum, & Catechumenum, qui se ad Baptismum disponit; nam ea mente, & conditione contracta censentur, ut per Matrimonium impleantur primum post Baptismum susceptum. 3. Quia dispositio Juris Canonici, & consuetudo Ecclesie, quo Matrimonium inter fidelem, & infidelem contractum irritatur, est correctorium, & restrictivum Juris Divini, & naturalis, quibus Juribus esset validum; cons. strictæ interpretationis est, igitur ad Sponsalia inter Catechumenum, & fidelem de futuro inita, & primum post Baptismum susceptum implenda extendi non debet; præsertim cum quoad hæc cesset periculum perversionis, & mala educatio prolis, propter quæ inter fidelem, & infidelem Matrimonium prohibetur.

Argumentum in contrarium allatum retorquetur in impubere, cujus Sponsalia valent, licet, quamdiu impubes est, invalide contrahat Matrimonium, Sufficit ergo ad hoc, ut valeant Sponsalia inter Catechumenum, & fidelem inita, quod post Baptismum validè contrahere Matrimonium possint.

132 **Quæritur 5.** An validum sit Matrimonium fidelis, in initum cum Hæretico, vel Apostata? Negant Gloss. *infra*. V. contra substantiam de condit. apposit. Host. in c. 2.

de convers. conjug. n. 1. Ancharan. *ibid.* n. 1. Carrer de Hæretic. n. 157. Simanc. de Cathol. Instit. tit. 40. n. 46. Rojas singul. 128. n. un. Fundantur 1. textu can. 72. in Trullo editi, quo conjugium hoc disertè habetur pro nullo, & jubetur dissolvi tanquam nefarium, 2. Hujusmodi conjugium est contra interdictum Ecclesie can. cau. 15. & can. non oportet 16. caus. 28. q. 1. conjugia autem, & universim omnia, quæ contra Ecclesie interdictum, & ordinationem sunt, rata non sunt habenda can. videtur 2. caus. 35. q. 6. l. non dubium 5. C. de LL. & Reg. que contra jus 64. in 6. 3. Matrimonium infidelis cum fidele est irritum, sed eadem rationes, quæ contra hoc, etiam militent contra Matrimonium contractum inter Catholicum, & Hæreticum, vel Apostatam, ergo &c.

Sed melius ejusmodi conjugium hodie saltem subsistere docent S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 1. ad 5. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 6. not. 2. Cajet. V. Matrimonium c. 1. imped. 6. Abb. in c. fin. de condit. appos. n. 5. Præposit. *ibid.* n. 6. Franc. in c. decrevit 14. de Heret. in 6. Navar. Man. c. 22. n. 49. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. § 11. n. 4. Azor p. 1. l. 8. c. 81. q. 5. Gutier. c. 104. de Matr. n. 6. Sanch. l. 7. de Matr. D. 72. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 11. n. 6. Card. de Lug. de Virt. Fid. D. 22. sect. 2. n. 13. Van. Espen. p. 2. Jur. Eccl. tit. 13. c. 8. n. 8. Zœl. tit. de Sponsal. n. 57. Pirhing *ibid.* n. 165. Schambog. n. 128. Engl. tit. de Matr. contr. interd. Eccl. D. 2. n. 2. König hic n. 21. & seqq. Wiestner *ibid.* n. 45. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. § 4 n. 20. Vincent. Petra tom. 4. comment. fol. 74. n. 7. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 5. n. 52. aliquæ SS. Canonum Interpretes, & DD. magno consensu,

Colligitur ex c. decrevit. cit. ubi Hæretico scienter nubens solum privatur dote, non autem præcipitur ab eo separari; adeoque supponitur, Matrimonium esse validum. Et confirmatur 1. ex Decreto Urbani VIII. 14. Mart. 1630. statuentis, quoad Matrimonia jam inita tolerari posse mulieres Hæreticas, que maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua spes conversionis, & nullum subversionis periculum, ita tamen, ut proles Catholicè educetur. 2. Ex Resolutione S. Congr. de propag. fid. quæ 1638. censuit, in Terris Hæreticorum, ubi Hæreses impune grassantur, maxime si ibi Catholica Fidei cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis Hæreticis per exhortationes potius, quam per Censuras prohibenda. 3. Ex consuetudine, & praxi Ecclesie, quæ ejusmodi Matrimonia quidem prohibet, sed contracta sustinet. 4. Ex ratione; quia cum uterque sit baptizatus, adeoque capax Sacramenti Matrimonij, non decuit illud ita irritari.

irritum reddi, ut irritum reddidit Ecclesia Matrimonium contractum cum infideli, & nondum baptizato.

In contrarium allata facile diluuntur.

¹³⁵ Ad 1. Imprimis *can. 72. cit.* & alij in Trullo editi non sunt Authentici; quia non à Synodo VI. sed illà jam dissolutà, à quibusdam Episcopis editi, & ut jam semel monui, à Sergio illius temporis Pontifice apertè reprobati. Deinde esto, ut non improbabiler aliqui volunt cum Gratiano, canon iste non supposititijs, sed authenticis sit, ac proinde conjugium à Fidei etiam cum Hæretico initum aliquando fuisset irritum, irritatio tamen ista per consuetudinem sublata est. Ad 2. Juxta *citt.* textus illa, quæ contra Jus, & Ecclesiæ ordinationem fiunt, pro irritis solum habenda, quando Jus actui præscribit formam, aut quando ex ejus contextu, sine &c. constat, actum, qui ibi prohibetur, etiam irritari; nam plura quidem sunt prohibita, quæ tamen acta valent. Ad 3. Non militant eadem rationes, quæ in conjugio fidelis cum infideli; quia inter hos nequit esse Sacramentum, ac sunt inter se magis dispares.

¹³⁶ Queritur 6. An, & quo Jure Matrimonium Fidelis cum Hæretico sit prohibitum? R. ejusmodi Matrimonium esse mortaliter peccaminosum, nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali, vel perversionis, aliorumque incommodorum, quæ ex talibus Matrimonijs plerumque oriri solent. Ita Sot. in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad ult. Veracrux p. 1. specul. art. 32. concl. 6. Palacios dist. 39. cit. q. un. col. 6. ¶ unde quod, Petr. de Ledesma. de Matr. q. 59. art. 1. ad fin. Sà summ. V. Matrimonium n. 8. fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 72. n. 4. & patet responsio ex Concil. Illiberit. can. 16. Laodicensi sub Sylvestro c. 10. & 13. Carthag. III. c. 12. Chalcedonensi art. 15. c. 14. Agathensi relato *can. non oportet 16. caus. 28. q. 1.* Idem colligitur ex c. decrevit 14. de Hæret. in 6. non enim rectè mulierum, quæ scienter nupserunt Hæreticis, dotes confiscarentur, nisi egissent illicitè.

¹³⁷ Estque prohibitio hæc non tantum Juris Ecclesiastici, sed etiam naturalis, tum ob periculum perversionis, cui exponitur conjux Catholicus, & liberi ex tali Matrimonio suscepti; tum ob periculum dissensionis inter ejusmodi conjuges, cum pax inter eos vix esse possit. Ex quo fit, Sponsalia inter Catholicum, & Hæreticum inita utpote promissiones de re turpi, non tantum illicita, sed prorsus irrita, atque invalida esse, nullamque Sponsalium obligationem inducere, si eò tendant, ut Matrimonium contrahatur, altero perseverante in Hæresi. Navar. tit. de Sponsal. edit. 1. conf. 38. n. 6. & edit. 2. conf. 5. n. 6. Sanch. D. 72. cit. n. 3. Corrad. prax. Dispens. l. 7. c. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

2. n. 99. ¶. verim, Petra tom. 4. comment. fol. 74. n. 6. & apud hunc Rota decis. 374. n. 6. coram Card. Celso.

Addidi in responsione, *Nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali &c.* nam si ejusmodi periculum absit, an liceat contrahere Catholico Matrimonium cum Hæretico, quæri potest. Videtur, quòd neque hoc casu liceat conjugium Catholici cum Hæretica. 1. Quia est præceptum Divinum, & naturale de non ministrando Sacramentum indignis. atqui in proposito casu persona Catholica, si cum Hæretico contrahat, ministrat illud indigno, qui in peccato mortali illud susciperet, ergo &c. 2. Ita contrahens communicaret cum Hæretico, qui si formalis sit, Excommunicatus est. atqui non licet communicare cum Excommunicato, ergo &c. 3. Omni Jure illicitum est cooperari alterius peccato, atqui contrahens cum Hæretico cooperaretur hujus peccato, dum hic sacrilegè Matrimonium contrahit, ergo &c.

Sed his non obstantibus, dicendum, ¹³⁹ secluso scandalo, perversionis periculo, aliisque incommodis, si simul etiam justa causa subfit, aliquando licitum esse contrahere Matrimonium cum Hæretico, vel Hæretica. Ita Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 5. Gutier. de Matr. c. 104. n. 7. Sanch. l. 7. de de Matr. D. 72. n. 5. Conink D. 31. dub. 3. concl. 3. & D. 26. n. 21. Palao tr. 28. D. 4. p. 11. n. 10. Pirhing tit. de Sponsal. n. 165. König hic n. 21. Wiestner *ibid.* n. 48. Ratio est, quia tale Matrimonium non est ita intrinsecè malum, quin possit cohonestari, & licitum fieri.

Argumenta opposita non probant in ¹⁴⁰ tentum. Ad 1. Ob gravem causam potest etiam Eucharistia ministrari indigno, ut si peccator occultus publicè illam petat. igitur etiam Matrimonij Sacramentum. Talis causa gravis, & justa est e. g. spes moraliter certa securitæ conversionis conjugis Hæretici ad Fidem Orthodoxam, vel alterius boni Spiritualis majoris, ob quam incommoda illa, tanquam minora, contemni deberent. Ad 2. Post Concilij Constantiensis Decretum non est prohibita communicatio cum Hæreticis, vel alijs Excommunicatis, nisi nominatim denunciati sint, vel notorij percussores Clericorum. Ad 3. Qui habet causam gravem faciendi aliquid ex se honestum, & licitum, non censetur per se cooperari peccato, quod alius fortè in eo committit; sed tantum per accidens, & extrinsecè, exhibendo quasi materiam, & objectum peccati, quod interdum ex causa licet, ut patet in solvente Ufuras promissas Ufurario.

Queritur 7. Utrum ad hoc, ut Catholicus cum Hæretica licitè contrahere Matrimonium possit, opus sit dispensatione Apostolica, vel consensu Ordinarij specialij? Hh

ciali? *¶* extra Germaniam saltem, & alias Provincias Septentrionales, in quibus Catholici cum Hæreticis permixtim vivunt, opus est dispensatione Apostolica, vel saltem consensu Ordinarij speciali, ut hujusmodi Matrimonia licitè contrahantur. Et quidem S. Sedes ad ita contrahendum nunquam dispensat, nisi prius habito testimonio de abjuratone Hæresis, prout nuperri-
tom. 4. comment. fol. 76. n. 14. ubi Vir quidam Heterodoxus ex Catholica muliere à se deflorata suscepit prolem, quam in Orthodoxa Fide educari permittebat; cùmque subinde precibus enixè peteret Matrem pro-
 lis sibi Matrimonio copulare, ista annuit sub his conditionibus. 1. Ut proles omnis sit semper Catholica. 2. Ut mater cum prole extra Hæreticorum ditionem manere possit liberrimè. 3. Ut Matrimonium contraheretur coram Ministro Catholico.

142 Quærebatur in hoc casu, an expediat, ut Ordinarius in Matrimonium consentiat; & Sanctissimus D. N. Clemens XI. auditis Votis Eminentissimorum Cardd. supremæ Inquisitionis die 16. Jun. 1710, respondit, atque decrevit, scribendum esse Inrenuntio in Belgio, ut significet Archiepiscopo Mechliniensi, non expedire Dispensationes, de quibus agitur, concedere, sed non posse, nisi abjurata prius Hæresi; ideoque ipsum Archiepiscopum bene se gessisse in ea deneganda, malè tamen se gessisse quosdam Religiosos Theologos, qui super dictis Dispensationibus Votum pro affirmativa dederant, quos idcirco admoneri voluit.

143 *Proceditque hoc etiam in Personis Principibus, cùm contet, Matrimonia inter Reges, & Principes non contrahi, nisi prævia Dispensatione Summi Pontificis, de qua re plura exempla extant apud Hurtad. de Fide D. 76. §. 233. Dian. p. 8. tr. 1. resol. 74. Gobat. tr. 9. n. 225. Card. Albit. de inconst. in fid. c. 36. n. 204.* Maximè verò requirenda est hæc Dispensatio, quando agitur de Matrimonio ineundo ab Hæretico cum Principissa Catholica, nata, & educata in Regionibus Catholicorum; nam ad ita ineundum Matrimonium Summi Pontifices summa maturitate processerunt semper, ita, ut semper hujusmodi Matrimonia dissuadent; si verò annuant, id certè non faciant, nisi in maximum Religionis Catholicæ bonum, ac Fidei propagationem cessurum noverint,

144 Quod colligitur ex Brevi Dispensationis à Sanct. mem. Urbano VIII. concessæ Sorori Regis Galliarum pro Matrimonio ineundo cum Filio Regis Angliæ, ibi, *Licet probè teneamus, Catholicorum cum Heterodoxis Matrimonia omnino fugienda esse, & quantum in nobis est, à catholica Ecclesia procul arcere intendamus, tamen cum grande verò Fi-*

dei, & animarum plurimarum bonum speretur &c. Bonum autem Religionis, ex hac dispensatione resultans eliciebatur ex pluribus conditionibus appositis, inter quas præsertim conventum fuit, ut Rex Angliæ inhi-
 beret omnem Inquisitionem propter Religionem in Catholicos Angliæ, & ut iidem Catholici immunes essent à Jurejurando, Catholicæ Religioni adversante, ac eis facultates extantes restituerentur &c.

Quæritur 8. Quando necessaria sit dispensatio, ut Catholicus cum Acatolica Matrimonium licitè possit contrahere? *¶* DD. cum Palao tr. 28. D. 4. p. 11. n. 11. communiter distinguunt inter Provincias, in quibus Catholici permittuntur securè suam Religionem profiteri, & sic perversionis periculum communiter cessat, & inter eas, in quibus hanc securitatem Catholici non habent. *In primo casu*, si etiam non cernatur adesse periculum aut perversionis, aut malæ educationis prolium, putant absque dispensatione Catholicum posse licitè Matrimonium inire cum Acatolica; quia tunc obligatio Legis tum Ecclesiasticæ, tum naturalis, Matrimonia hujusmodi prohibentis, cessat.

In secundo casu autem docent talia Matrimonia quidem autoritate privata minime iniri posse, posse tamen, accedente Dispensatione Pontificia, modò pars Acatolica parti Catholicæ sufficientem securitatem præster de relinquendo illam in securitate Professionis Fidei Orthodoxæ, & sic ipsi perversionis periculum ex tali Matrimonio nullum immineat; nam hocposito Catholicus solum ex obligatione Legis Ecclesiasticæ abstinere tenebatur ab eo conjugio. Quando autem censentur Catholici hanc securitatem habere, prudentis arbitrio relinquunt, spectatis circumstantiis. Inter magnos Principes ex sententia Pontij *Append. Matr. Cath. cum Heret. c. 5. n. 4. & seqq.* sufficiens securitas reputanda est, cùm fidem dant Juramento firmatam, maximè si danti fidem interstit illius inviolabilis observatio.

Quin imò cum eodem Pont. c. 6. *§. 147.* existimat Palao l. cit. n. 12, posse Catholicum, præcedente tamen dispensatione Pontificia, cum Hæretico Matrimonium contrahere cum aliquali periculo subversionis, si tamen animum firmum habeat dictæ subversioni non assentiendi, si ex eo periculo subeundo magni fructus sperentur, ut si speretur multorum Acatolicorum conversio, Catholicorum tranquillitas status, & Ecclesiæ Catholicæ non leve augmentum. *Rationem dant*, quia periculum peccandi subire non est intrinsicè malum, quin ex rationabili causa honestari possit, ut manifestè colligitur ex illo *Judith. 9.* quæ ob populi liberationem periculo non levi amittendæ Castitatis se exposuit, & ex illo *Esther. 2.* quæ nubens Assuero absque suæ Religionis ma-
 nifeste-

nifestatione periculum subijt deserendi Religionem, vel saltem præcepta Divina de ciborum vitiorum abstinentia transgrediendi.

140 Quæritur 9. Utrum in Germania, aliisque Septentrionalibus Provincijs, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti degunt, licita sint conjugia inter personas Catholicas, & Hæreticas? *¶* ex recepta, & tolerata consuetudine licita esse, Ita Azor, p. 1. l. 8. c. 11. q. 5. Gutier. de Matr. c. 104. n. 7. Sanch. l. 7. D. 72. n. 5. Bonacin. de Matr. q. 3. p. 7. n. 2. Hurtad. D. 24. diff. cult. 2. fin. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. 7. secundo limitat, Engl. tit. de Matr. contr. Interd. Eccl. §. 2. n. 2. König bic n. 23. Illfung. tr. 6. D. 9. n. 88. Petra tom. 4. fol. 75. n. 11. si tamen adsint conditiones supra requisitæ, videlicet. 1. sufficiens causa, eaque gravis. 2. ut nullum sit periculum perversionis, sed conjugii Catholico permittatur liberè in Fide permanere. 3. ut absit scandalum,

140 Monent tamen cum cist. DD. Conink D. 31. dub. 3. fin. Pal. tr. 28. D. 4. p. 11. n. 10. Aversa de Sac. Matr. q. 18. de Imped. Dispar. Cult. sect. 2. Verricell. de Apostol. Mission. q. 174. sect. 7. n. 30. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 5. n. 61. prædicta pericula, & Catholicorum scandalum rarò abesse: & propterea in praxi Catholicos ab ejusmodi conjugijs absterrendos; nisi ex ijs procreata proles omnes Catholicè educentur, atque insuper spes sit Hæretici conjugis convertendi, vel alterius cujusdam fructus. Si dubium sit, utrum ejusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel etiam Episcopum in Germania nostra pertinebit rem examinare, &

contrahendi Matrimonij licentiam dare. Laym. l. cit.

Quæritur 10. An licita sint pacta, quæ conjugijs inter Hæreticum maritum, & uxorem Catholicam initis sæpe adduntur, ut aliqui ex liberis v. g. masculi Hæresin sequantur Patris, Fæminæ Fidem Catholicam Matris, aut vicissim? *¶* Hæc pacta esse prorsus impia, & irrita. Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 6. Gutier. de Matr. c. 104. n. 8. Sanch. l. 7. D. 72. n. 6. Amicus D. 21. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 3. Sporer de Matr. n. 120. Illfung tr. 6. D. 9. n. 88. Engl. tit. de Matr. contr. Interd. Eccl. §. 2. n. 3. Pirhing tit. de Spons. n. 167. König bic n. 23. Ratio est, quia Parentes tenentur omnes liberos suos in vera Fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo possunt, Imò si conditio hæc apponatur ipsi contractui Matrimoniali, tanquam repugnans bono prolis, vitiat contractum, & facit eundem irritum, ut bene advertit Magnif. P. Schmier p. 3. de Matrim. c. 5. n. 57. & patet ex dictis Tit. præc. n. 117.

Excipitur, si aliunde hujusmodi Matrimonium licitum fiat, eò quòd v. g. per illud speretur promovendum bonum publicum; tunc enim si spes non sit, ut maritus Hæreticus permittat omnes Liberos in Catholica Religione educari, hoc casu non videretur esse illicitum in Pactis conjugalibus talem conditionem adjicere, ut saltem aliqua pars Liberorum in Fide Catholica educetur, & instruatur; salvo tamen jure Matris Catholicæ, ut etiam cæteros Liberos, quantum fieri poterit, in vera Religione instruere, ut tenetur, non prætermittat.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

147 Sequitur Impedimentum criminis, quod antiquo Jure duplex fuit, Impediens, & Dirimens: nunc per non usum, sublato Impedimento criminis, quatenus Impediens est, mansit solum, prout est Dirimens. Oritur ex Adulterio, & Homicidio, sive machinatione in necem conjugis, & Matrimonium

dirimit non cum quacunque sed cum eadem axat persona, cum qua commissum est Adulterium, vel contra cujus consortem commissum est. De utroque in hoc Titulo agitur, quamvis in Rubrica primi duntaxat mentio fiat: unde Nigrum, ut Canonistæ loquuntur, hoc Titulo latius patet, quam Rubrum.

§. I.

De Impedimento Criminis orto ex Adulterio.

S U M M A R I U M.

1. Impedimentum hoc oritur ex adulterio, accedente Matrimonio cum adultera, vel promissione illius, superstitute conjugis legitimo.

2. Non incurritur, si uterque Infidelis sit.

3. Etiam si deum unus illorum convertatur ad

Fidem, & post Baptismum vel adulterium vel Matrimonium cum adultero ineat.

4. Et sic. Concurrere necessarium ad Impedimentum hoc inducendum debet Adulterium cum Matrimonio, vel promissione illius.

H h 2

8. Per-